


06

A

999









I. N. 7.  
7.  
HUGO GROTIUS

AD XXXVII. ET SEQQ. CAPP.  
EZECHIELIS

Vaticinia nempe de Servo Domini, Davide Rege,  
de Gog & Magog, ut & designationem Chronologicam initij capti-  
vitat<sup>s</sup> Babylonicæ Templiq; novi exstructionem  
Prophetæ demonstratam,

ἡλεγχόμεν<sup>ος</sup>,

Quem

In Alma Leucorea

P R Æ S I D E

V I R O

*Maximè Reverendo, Magnifico, Amplissimo, & Excellentissimo*

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

S. S. Theol. Doct. Ejusdemq; Prof. Publ. Primario  
longè celeberrimo, Ecclesiæ Witteb. Pastore, Electoratus Saxonici  
Superintendente Generali vigilantissimo & Consi-  
storij Ecclesiastici Assessore gravissimo,

Dn. Patrono & Præceptore suo omni observantiæ  
cultu æternum prosequendo  
publicæ disputationi exhibet

M. JOH. ERNESTUS Hering/

Dresd.

*In Auditorio Majori, Horis Antimeridianis*

*D. Maij. Anno M DC LXIII.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI.



HUGO GROTIUS

AD XXVILEM SEQUENTIA

Venerabili patri de Seruo Domini Davide Rege  
de Gode Magro, in & dehanter in Chronologiam  
vniuersali & vniuersali

In Alma Ludovica  
P. R. E. S. I. D. E.  
V. R. O.

DN. ABRAHAMO CALOVIO

S. S. Theol. Doct. P. R. O. F. P. U. B. L. P. R. I. M. A. R. I. O  
longe elaborato, recte &  
superintendenti  
hon. P. R. O. F. P. U. B. L. P. R. I. M. A. R. I. O  
D. N. LUDOVICO P. R. O. F. P. U. B. L. P. R. I. M. A. R. I. O



999 A 90


M. JOH. ERNESTUS

D. N. LUDOVICO P. R. O. F. P. U. B. L. P. R. I. M. A. R. I. O  
in Nostris h. p. h. s. t. u. n. i. u. e. r. s. i. t. a. t. e.  
D. N. LUDOVICO P. R. O. F. P. U. B. L. P. R. I. M. A. R. I. O

WITTEB. R. G. E.  
TYP. JOHANNIS BORCKARDI







ANNOTATA ANTI-GROTIANA  
AD EZECHIELIS

CAPIT XXXVII.

V.24.

ET SERVUS MEUS DAVID REX SUPER EOS.

*Ita dicitur Zorobabel, quia ex Davidis erat Sangvine, & virtutum ejus imitator. Vide supra XXXIV. 24.*

**P**ervertitur iterum illustris Prophetia de regno Christi, & quæ de Messia uno Rege totius Israelis prædicta, ad Zorobabelem detorquentur. Quod verò non concedendum, siquidem primò regnum Ephraim cum regno Juda in unum corpus coalescere debuerit. FACIAM EAS (tribus) IN LIGNUM UNUM. Id verò nunquam impletum est in corporali regno Ephraim & Juda, nedum sub Zorobabele: sed in regno Christi, sub quo & Israelitæ & Judæi in unum mysticum corpus coaluere. Observandum autem imprimis, quòd non tantum tribus Judæ & filiorum Israel sociorum ejus mentio fiat, per quos intelliguntur, qui in primo schismate sub Rehabeam i. Reg. XII. partes Judæ sequuti sunt, cum tribu Benjamin, & Levi, quales erant ex omnibus tribubus Aliqui, tum qui ex tribu Ephraim, Manasse & Simeon, ad Assam Nepotem Salomonis sese recepere. Vide 2. Chron. XI. 16. seqq. c. XV. 8. seqq. nec non qui sub Ezechia accesserunt è tribubus Aser, Menasse, Sebulon, & Isaschar 2. Chron. XXX. 5. 11. 18. cap. XXXI. 1. Confer: Josephus l. IIX. Antiquitat. c. III. Sed quòd etiam cuncta domus Israel, & socij ejus commemorantur v. 16. Tribus Israel integræ, quod in unum coalescere debuerunt cum tribubus Judæ & Benjamin, in unam nempe civitatem Ecclesiasticam. Ad quos verò referendos esse Israelitas secundum Spiritum, qui pro Israelitis restituendis in gratiam putandierunt, non gentis, sed fidei respectu ex Hos. III. 4. 5.

G

Jer.





*Jer. III. 18. Rom. IX. 5. 6. colligitur. Neq; enim integræ tribus Israelis restitutæ unquam fuere in unam politiam & Rempublicam cum Judæis, quia mansisse in perpetua captivitate apertè dicuntur decem tribus 2. Reg. XVII. 23. 41 & eatenus sola tribus Judaica cum adherentibus reducta dicitur passim: quo de etiam Josephus lib. XI. Ant. c. V. Duæ tantum, inquit, tribus, per Asiam & Europam sub Romano Imperio degunt. Decem tribus nunc quoq; ultra Euphratem sunt infinita hominum millia. Quæ vix est numero comprehendere. Permisit sanè Cyrus Israelitis omnibus potestatem redeundi, qui sub imperio suo erant, ut & Artachasta, testibus diplomatibus ipsorum Esdr. l. 2. 3. 4. ut & vers. 12. 13. & qui dimissi ac reversi sunt, vocantur communi Israelis nomine Esdr. l. 5. c. II. 3. 59. 70. c. VI. 21 c. X. 1. ac totius Israelis mentio fit c. II. 70. c. X. 5. Neh. VII. 20. c. XII. 47. & transmisit Esra diplomatis libertatis à Cyro promulgati copiam Israelitis in Mediâ herentibus, teste Josepho lib. XI. c. 5. accersivit Esdra è Caspia Levitas Esdr. IIX. 15. neq; dubium est, alios etiam inde redire potuisse, imò quum in sacrificia XII. arietes oblatis sint, secundum numerum XII. tribuum Israel Esdr. IIX. 35. haud obsecurum esse videtur ex omnibus tribubus nonnullos reversos fuisse: Cœterum quum Scriptura in eo discrimen duarum tribuum, & decem tribuum, vel Judæorum & Israelitarum assignet, quod Judæi reducendi quidem fuerint, non item Israelitæ; & Israelitas in Mediâ perpetuò mansisse, ac projectos esse à facie Domini, sicut loquutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum, apertè testetur. 2. Reg. XVII. 21. & seqq: Neq; unquam reversè sint integræ tribus Israelis, quemadmodum hoc vaticinium tribuum mentionem facit: non apparet, quomodo dici possit, hoc vaticinium plenum complementum suum habuisse in reductione, & reditu corporali tribuum Israelis, & Judæ, quæ nunquam iterum in unum regnum coaluere, quemadmodum ante divisionem sub Salomone unum regnum & unam politiam omnes XII. tribus constituerent. Quapropter utut vaticinijs talibus illud beneficium libertatis redeundi in patriam omnibus apertum iri, multosq; ex omnibus tribubus aliquando redituros ad cœtum populi Dei in terrâ Canaan restauandam, admitti queat; non exhauritur tamen ita sensus ejusmodi Pro-*



di Prophetiarum, quæ aliquid amplius inferunt; quod nempe Israelitis omnibus integrum fuerit ad populum Dei aggregari, quodque convocati omnes sint non tam *edicto Cyri*, quam *universali Evangelij præconio*, quo omnibus libertas, ac potestas facta *collectionis ad Ecclesiam*, omnesq; per totum orbem ad populum Dei, quem reduxerat è *captivitate Babylonicâ*, vocati sunt in Novo Testamento, postquam Christus ipse huic populo sese stiterat, eundemq; per verbum congregârat, qui etiam mortuus est *pro gente Judaica*, imò non *pro gente tantum illâ*, sed *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, *Jos. XI. 52.* Summa est, agi hic de *convocatione ad Ecclesiam*, non de *collectione ad Politiam*; de *unitate corporis Mystici*, non de *unitate civili*: de *unitate sub Rege cœlesti Messia*, non *sub Rege terreno*. Quæ convocatio ceperit, *tempore Cyri*, sed compleatur *tempore Novi Testamenti, usq; ad consummationem seculi*, quâ ad Israelitas primum, ceu populum Dei electum, cui revelavit quondam Deus verbum suum, extendit DEUS *Manum suam*, eosq; in terram patriam restaurandi cultus publici & cœtus Ecclesiastici causa revocatos voluit, qui non in exiguo numero tempore Cyri convolarunt, & *successu temporis* aggregati plures eorum sunt, ubi *Christus* promissus *Messias*, & *Salvator mundi* sub adventum suum in terrâ Israelis *ἀποκαταστήσει* omnibus tribubus prædicavit, & ex omnibus tribubus Ecclesiam restauravit; tum verò *per Apostolos* & *Israeliticam Ecclesiam* gentes universas aggregari, diruto pariete intergerino, curavit, & ex omnibus unum corpus fecit hisce etiam pro Israelitis putatis, qui ad eosdem aggregabantur, & in bonam olivam, etsi ex naturali excisi oleastro inferebantur. *Rom. XI. 24.* Recte itaq; *B. Chytraeus* in comment: in *Apoc. Germ. c. XX.* observat *tres esse gradus restitutionis populi Israelitici*, de quibus *Ezechiel*, & alij Prophetę. *Primam sub Cyro & Dario*, cum in *Judæam* reducti civitatem suam & templum reedificaverunt. *Alteram* quę *per Christum Regem & Pastorem ovium Israelis* undiq; per orbem dispersarum facta est, qui montem *Zion* & regnum *Davidis* in totum orbem propagat, & per præconium *Evangelij* novam & æternam civitatem & Ecclesiam erigit, & novam & æternam justitiam inchoat; quæ in *tertiâ perfectâ restitutione Israelis* in *novâ & cœlesti*





## AD EZECHIELIS

*testi Hierosolymâ post resurrectionem complebitur, & consummabitur.* Promittit ergò, juxta *Chytraeum*, Propheta Judæis in Babylone captivis & per orbem dispersis reditum in Judæam & restorationem civitatis & templi, & gloriosi atq; æterni regni Davidis: ut nec excludi restauratio templi ex hoc vaticinio debeat, nec ea sola Majestatem ejus exhauriat, sed imprimis augustum Christi regnum intendatur.

Neq; vero admittendum iterum Judaizantis Grotij *κρησφύ-  
γερων*, quod hæc Prophetia tantum *conditionata* fuerit *sub hypothese  
seriæ conversionis facta*: Nam parili facilitate etiam *Judæi* dicent  
promissionem de *Messîâ conditionatam esse*, ac conditione non  
præstitâ, etiam, quæ promissa sint, non impleri. Sic frigida affun-  
ditur excæcatis Judæis. In promissionibus verò nonnullis *tacitam  
conditionem* subesse non diffitemur, sed in omnibus *conditionem  
subintelligendam*, minimè concedendum est.

Porrò (2.) *congregandi* dicuntur *filij Israel* non ex terrâ certâ  
sed è *toto orbe*: vers. 21. *Ecce ego assumam filios Israel de medio nati-  
onum, ad quas abierunt, & congregabo eos undiq; & adducam eos  
ad humum suam.* Quod cum nunquam impletum sit, quantum  
quidem ad *universos Israelitas è medio quarumvis nationum, undiq;  
collectos in unum politicum corpus, de convocatione & collectione ad  
Ecclesiam* intelligendum necessariò est.

Tertiò cum promittit Deus se. gentem unam in terrâ in mon-  
tibus Israel facturum, si de *Politicâ unitate in Republicâ unâ vel regno  
uno* id accipiendum, ostendant Judæi, & Advocatus eorum Groti-  
us, & qui ejus partes tueri velint, ubi in unum corpus, in unam  
gentem politicam *Israelitæ omnes in montibus Israel collecti* sint. Ide-  
oq; de *unitate mysticâ* Israelitarum, qui convocati ex omnibus na-  
tionibus sunt ad Ecclesiam, tum eorum qui secundum promissio-  
nem putati pro Israelitis sunt, adeoq; *Israel* dicuntur *secundum Spi-  
ritum* intelligere hæc oportet, quorum omnium *cor unum & una  
anima* est *Act. IV. 15. Confer. Esa: XI. 6. seqq. Gal. III. 28. Eph. II. 14. Col.  
III. 11. Non erunt, inquit, tumultuæ duæ gentes, nec dividuntur  
amplius in duo regna.* Id certè nunquam impletum est in Israelitis  
secun-



secundum carnem & Judæis, quod ita copulati sint in unum regnum, & in unam gentem, quoad gubernationem politicam. Ideo dicuntur *unum esse IN MANU Domini*, ut in Ebræo habetur, quia Christus sustulit æmulationem ac contentionem inter Judæos & Samaritanos, ac utrosq; in Ecclesiâ sibi ac Deo junxit *Joh. IV. 21.* Quo de Hieronymus: *verè in adventu Salvatoris duæ virgæ, & ut in Hebræo positum est, duo ligna in unum juncta sunt sceptrum, & in Baptismate Christi dudum separata sociantur: ut fiant in unum novum hominem: & in unam gentem: neq; polluantur ultra in Idolis & abominationibus: Sed mundi lavacro, sint populus Dei: & imperet eis Christus: & habitent super terram mitium, terram viventium, quam dederat servo suo Jacob: qui populum Israel in matris utero supplantavit.* Addit & aliorum explicationem, quam etiam subjicere placeat. *Sin autem voluerimus juxta prophetiam Osee, quæ penè omnis ad decem tribus dirigitur, id est, ad Joseph & Ephraim, & Samariam & Israel, intelligere falsi nominis scientiam, & diversas turbas hereticorum: hoc dicemus, quod in ultimo tempore, quando subintraverit plenitudo gentium, & omnis Israel salvus fuerit: tunc etiam adversarij populi, qui contra domum Jude & confessionem Ecclesiæ pugnaverunt, tradant se Ecclesiasticæ fidei: & universis erroribus derelictis & principibus mundi istius, qui destruuntur: & Patriarchis suis, qui eos in blasphemiarum barathrum deduxerunt: consurgant & relinquunt Idola sua, & abominationes, quas de suo corde confinxerant: & de cunctis sedibus suis, in quibus peccaverunt, transeant ad Ecclesiasticam fidem & mundentur, & sint populus Christi, & ipse sit Deus eorum.*

Per *Montes* ergò *Israel* *montes Ecclesiæ*, Phrasi Propheticâ, intelliguntur. Quia *montes Israel* nec capere possent omnes, nec ad illos reversi omnes sunt.

Quartò quancumq; *justificatio & liberatio ab omnibus abominationibus* promittitur, ac de tali rege, regimine & regno sermo est, sub quo, & in quo subditi *Spiritualiter mundandi* sint, de regno & rege Spirituali, non terreno agi manifestum est. Nullus enim sub terrâ populus est, nullum regnum, quod totum ita sanctum & pium perpetuo sit ab idolis & abominationibus & iniquitatibus



tatibus quemadmodum hic promillum est. *Neq; polluatur ULTRA in idolis suis & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis, & salvos eos faciam de universis sedibus suis, in quibus peccaverunt, & EMUNDABO eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis DEUS.* Quæ de Ecclesiâ, quam sibi Deus purificat & sanctificat, & regno Christi intelligenda esse, manifestum est.

Quintò: Qualis populus, talis Rex: Ideo non promittitur terrenus Rex, sed *Messias Rex in monte Zion à Deo constitutus Ps. II. 6. Germen illud Justum Davidis, sub quo Juda & Israel confidenter habitant Jer. XXIII. 6. c. XXXIII. 16.* Cui nomen David tribuitur, quod ex Davide originem traxerit, & thronum David occuparit, ac David insignis ejus typus fuerit. Ideo Theodoretus: *David autem Dominum dicit Christum, ut ex David secundum carnem oriundum: servum autem propter humanam naturam. Quum enim in forma Dei esset, formam servi accepit; docet igitur Prophetica oratio impietatem extinctum iri, & colendorum Idolorum errorum, regnorumq; divisionem uno tandem imperio terminandam, sub quo degeneres ij, qui etiam ab uno pastore significantur, suum & dominum & Deum agnoscent.* Hæc Theodoretus. Quo de ad Ezech. XXXIV diximus.

Sextò *unus Rex omnium convocandorum ex omnibus nationibus constituitur, unus Pastor ovium istarum; quod de Zorobabele intelligi non potest, qui neq; regiâ dignitate fulsit, neq; omnibus Israeliticis tribubus imperavit; imò cum Regis hujus officium hic describatur à remissione peccatorum & sanctificatione, manifestum est, in nullum Regem terrenum id competere, ut rectè notavit Theodoretus. De tali Rege sermo est, sub quo omnes ambulaturi in justitiâ, omnesq; subditi sancti futuri sunt. Et Servus meus David Rex super eos & pastor unus omnium erit eorum: in judiciis meis ambulabunt & mandata mea custodient & facient ea.* Id verò in nullo terreno Rege contingit, sed proprium est regni Christi, Ecclesiæ Dei, quæ sanctorum est communio.

Septimò de Rege *perpetuo & sempiterno* hic agitur, qui scilicet in perpetuum regnaturus sit, cujus regni nullus sit finis. *Et habitabunt super eam & ipsi & filij eorum, & filij filiorum eorum,*



*eorum USQUE IN SEMPITERNUM, & David servus meus princeps eorum in SEMPITERNUM.* Id vero nullatenus convenit Zorobabeli. Num enim ille Rex perpetuus Israelis? Si verò pervertere quis cum Grotio id velit, verba *in sempiternum* nihil aliud significare, quam *diuturno tempore*, non patiuntur id ea, quæ hic habentur: *& habitabunt super eam ipsi & filij eorum, & filij filiorum eorum USQUE IN SEMPITERNUM.* Nam ea sonant de *omni posteritate eorum, natorum natis, & qui nascentur ab illis.* Quomodo verò illorum omnium Rex Zorobabel fuit, totius posteritatis Israeliticæ? Quia de his omnibus dicitur: **ET DAVID SERVUS MEUS PRINCEPS EORUM in perpetuum.** Quod argumentum urget adversus Judæos Theodoretus: *Dicant Judæi, quis sempiternus ipsorum Rex sit, qui David appelletur? Nequaquam enim Zorobabeli hujus cæmodi appellationes convenire, ipsi quoque, confitebuntur. Primum enim haud regnavit ille, sed populi ductor fuit, deinde etiam illud ipsum imperium morte finitum est: quod si de genere Davidico hunc sempiternum intelligunt, ostendant David genus regnare, quod si præter regnum ipsum quoque David genus incertum est, in præfenti duorum alterum necesse est, vel falsam Prophetiam opinari, vel Domini Christi ex David secundum carnem nati regnum adorare, verum à mendacio vacuam esse Prophetiam, ipsi itidem fatebuntur. Quod si vera est, quemadmodum igitur mendacij expertus est, neque videmus aliud Judæorum regnum, neque insuper ipsum genus David, clarum est & perspicuum, & ipse regnat, ut ex David secundum carnem, filius autem Dei secundum divinitatem, etiam sempiternum obtinet imperium; Perspicua & aperta est & illorum deliratio, perfidiæque, & nostra Dei cognitio.* Hæc Theodoretus.

Tum ne ambigamus verè *in sempiternum* durare illum principatum, *foedus pacis sempiternum* huic regno promittitur. Ea ergò sempiternitas huic Davidi promissa est, quæ *foederis pacis est*, quod cum illo, & regno ejus percutitur. At hæc non est sempiternitas diuturni temporis, sed perpetua. Quod nobis *ostavum* argumentum est de foedere pacis, & hoc Rege sempiterno. De quo iterum Theodoretus, *Ostendant igitur nobis (Judæi) vel pacis vel sempiternum*

testa-



## AD EZECHIELIS

*testamentum: Non poterunt, cum utroq; privati sint: Nobis autem utrumq; dedit Dominus, namq; & sempiterna nobis bona pollicitus est, & id nobis est elargitus, ut cum ipso reconciliaremur. Ipse enim est pax nostra, sicut auctor est divus Apostolus, & rursus unus ac Mediator, Deus & homo, Christus Jesus, qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus.*

Nonum argumentum perpetua sanctuarii & tabernaculi Domini in hoc Israele & sub hoc Rege conservatio suppeditat. v. 24. FVNDABO EOS, ET MVLTIPPLICABO, ET DABO SANCTIFICATIONEM MEAM IN MEDIO EORVM, ET ERIT TABERNACVLVM MEVM IN EIS, ET ERO EIS DEVS, ET IPSI ERVNT MIHI POPVLVS. ET SCIENT GENTES QVIA EGO DOMINVS SANCTIFICATOR JSRAEL CVM FVERIT SANCTIFICATIO MEA IN MEDIO EORVM IN PERPETVVM. Hæc crebra repetitio vocum IN PERPETVVM, atque IN SEMPITERNVM, PACTVM SEMPITERNVM, quæ *quin-ques* expressis verbis & adhuc aliquoties *κατὰ διαβολαίαν* repetuntur, confirmant prolixè, non *diuturnum* aliquod *tempus* sed *simplicem perpetuitatem* notari, & *æternum fore* hunc Regem Davidem, æque ut æternum erit regnum ejus, æternum foedus pacis, æternus ejus populus, & æternum ejus tabernaculum in eis, æterna in medio eorum sanctificatio Domini, æternus ipsis erit Deus in Deum, quæ de Christo æterno Rege, & æterno ejus regno, quod in hoc seculo regnum est gratiæ, in altero regnum gloriæ, idem regnum, sed diversa regnandi ratio, in quo æterna pax, æterna sanctificatio, æterna tabernacula, & in eis æterna Domini gloria. Unde hæc de æterna Hierosolyma cœlesti etiam intelligenda esse docetur Apoc. XXI. 3. Quæ adversus Judæos (& pariter adversus Grotium Judaizantem) ita inculcat, urgetq; Theodoretus: *At qui desertum templum, & quæ antiquitq; sancta erant, quomodo igitur promisit, se positurum sancta sua in medio ipsorum in seculum, & tabernaculum suum in ipsis? igitur cum neq; horum cernamus eventum secundum Judæorum sententiam, noverimusq; spiritualium verborum veritatem, ita hæc intelligemus, ut ijs congruant, quæ ante interpretati sumus; habemus enim etiam rerum ipsarum consentiens testimonium: Neq; enim solum sancta domus Dei,*



Dei, sed etiam divina altaria omnibus hominibus donata sunt. Similiter Hieronymus: *Judei de templo interpretantur, quod sub Zorobabel extructum est. Sed quomodo stare poterit hoc quod dicitur in perpetuum, cum templum illud, quod sub Zorobabel extructum est, & postea à multis instauratum Romano igne succensum sit? Quæ omnia referenda sunt ad Ecclesiam, & ad tempora Salvatoris, quando tabernaculum ejus positum est in Ecclesia: ubi factus est Deus noster: & nos populus ejus, profectusq; omnium est, ut sciant quod ipse sit Deus, & ipse sanctificet Israel, non juxta carnem, sed juxta Spiritum: quando sanctificatio ejus in medio credentium facta est in perpetuum.*

Decimum argumentum gentium vocatio subministrat. **ET SCIENT GENTES, QUIA EGO DOMINUS SANCTIFICATIO IN MEDIO EORUM IN PERPETUUM.** Quæ gentes ad notitiam unius veri Dei & ad Ecclesiam Israelis adductum iri docent: de quo Theodoretus. *Revera per eos, qui ex Judæis crediderunt, etiam gentes cognitionis Dei lumen exceperunt: ex Judæis enim Divi Apostoli & primi Apostolorum discipuli, & ex Prophetis, qui apud Judæos custodiebantur, quæ ad Salvatorem nostrum Christum pertinent percipientes divino præconio gentes crediderunt: quomobrem Divus quoq; Apostolus inferi, qui ex gentibus crederent dixit in piâ Judæorum radice, frangi, & ab hac radice separari eos, qui à Judæis minimè crederent. Salute igitur Judæis, inquit, primum suppeditat à cognoscent gentes, quia ego sum Dominus sanctificans eos: Et Judæis enim Dominus Christus secundum carnem, apud Judæos crux, sepulchrum, resurrectio, ex Judæis Apostoli, primiq; præcones, merito igitur gentes per hos salutem consequuntur. Postremò agnoscunt Rabbini ipsi, per Davidem hic Messiam intelligi: Conferentes, quæ hic de Davide Rege in sempiternum futuro dicuntur, cum ijs, quæ de Throno Messiae sempiterno habentur Psal. XLV. *Thronus tuus DEUS in æternum, ut ex Rab. Aben Ezra in prædictum Palmum constat. R. Lusitanus in Colloq. Mittelburg. f. 122. admittit, quod Messias hic dicatur David servus Domini, ex quo (licet ἀπαίδευτος) concludit, quod non sit Deus.**



AD EZECHIELIS  
AD CAPUT XXXVIII. & XXXIX.

Vers. 12.

PONE FACIEM TUAM CONTRA GOG.

*Designat Antiochum ex populis, quos possidebat. Itaq;  
versio optima est ad Gog, & Magog terræ principem.*

Quod hæc duo capita refert Grotius ad Maccabæorum tempo-  
re ex præconceptâ opinione procedit; quòd nempe præcedens va-  
ticipinium de Zorobabele agat, & de conservatione politie Judaicæ per  
diuturnum tempus, quasi voluerit Deus monere Judæos, ne meram  
felicitatem sibi inde promitterent, non defuturas calamitates. Lu-  
bricum, imò nullum est illud fundamentum. Præcedens enim  
vaticinium non de Zorobabele, sed de Messia egit. Non diffite-  
mur autem, hanc de Gog & Magog Prophetiam valdè obscuram, &  
varijs autorum expositionibus obnoxiam esse, quarum plerasq; re-  
censet Bellarminus lib. III. de Rom: Pont. c. XVII. E quibus primò in-  
epti sunt, qui prælia Diaboli & angelorum ejus cum bonis angelis in  
cælo notari apud Hieronymum putarunt, quum Prophetia de futuris  
proponatur, & prælia non inter angelos, sed inter homines geren-  
da exhibeantur. A quibus non multum abeunt, qui apud Maldo-  
natum hæc referunt ad prælia Diaboli, olim in cælis futura contra ele-  
ctos & glorificatos, & per diversas gentes diversos ordines Diabolo-  
rum intelligunt: quas nænias suis autoribus relinquimus.

Neq; secundò convenit S. Augustini interpretatio, qui per Go-  
gum intelligit Diabolum, per Magog autem Anti-Christi exercitum:  
quia Gog est Princeps aliquis terrenus Dux exercitus, morti  
obnoxius.

Tertio Judæorum Sententia, quod Messias ceu Rex terrenus,  
cujus adventum adhuc expectant, bellum corporale contra Gog &  
Magog gesturus, & hanc ipsorum insignem cladem, quæ opero-  
se ab Ezechiele describitur, effecturus sit: ex ipso textu facilè re-  
probat; quia nullo prorsus verbo Messiae hinc mentio facta est per  
integra duo capita, quæ de prælio Gogitico agunt, neq; Messias a-  
liquis terrenus, qualem Judæi fingunt, sed Jehovah in acie consti-  
tuitur contra Gogum c. XXXIIII. 21. c. XXXIX. 2. 3. 4. 22. Quum sit  
ergo



CAPUT XXXVIII & XXXIX.

ergo hostis hujus gravissimi populi Domini debellator, quem introducit Propheta, Jehovah sit, Messiam oportet Jehovah esse, agnoscant, si ipsum eidem hic opponi velint Judæi. Nullus enim aliis exertis verbis eidem opponitur à Prophetâ, nisi Jehovah. Taceo ea quæ de gemino Messia hic commenti sunt Judæi, altero filio Josephi, cui nomen Nehemias filius Husiel, altero Davidis filio, quorum ille in hoc prælio Gogitico occidendus sit: Iste succedens ei, regnum sit occupaturus. De quibus legere est in Targum in Cant. IV. Apud Abenezra in Zach. IX. 1. & alios passim. Auctor Af-Katb Rochel sub signo nono, somnia sua de hisce ita pandit; Clanget Michael clangorem magnum, quo sepulchra mortuorum aperientur Hierosolymis, eosq; Deus Bened. vitæ restituet. Messias enim Ben David, & cum ipso Elias Propheta è mortuis suscitabunt Messiam Ben Joseph, qui sub portis Hierosolymæ asservabatur. Deinde mittent Messiam Ben David ad colligendas Judæorum reliquias in omnibus terris dispersas. Et confestim omnes gentium Reges totius orbis Israelitas humeris suis impositos ad Deum deducant. &c. Ejusdem & hæc sunt: Dicunt autem Rabbinib. m. prius venturum Messiam Ben Joseph ad colligendas captivitates, & tum fore bella Gog & Magog, prout exponunt cap. Roch. exaltatus super omnia in caput (ex I. Para. 29. 11.) Exaltatus in caput, hæc sunt bella Gog & Magog juxta illud Ezech. 38. 3, Ecce me contra te: Et Gog & Magog, Princeps primarie Meschechi & Thubalis. Sic capituli Hachalil de isto tempore exponunt Scripturam, quæ extat Zach. XII. 11. Planget una quæq; familia seorsim &c. propter mortem scilicet Messie Ben Joseph, qui occidetur. Et cap. 1. eod. Megilla, ad eundem refertur id quod dicitur vers. 11. Die illo magnus erit planctus Hierosolymis &c. Portenta alia de hisce ita proponit R. Manasse Ben Israel libr. Spes Israelis pag. 78. Tempore illo X. tribus venient Hierosolymam, sub ductu principis, quem Rabbinib. nonnulli in Talmud, & Paraphrasi Chaldaea aliquot in locis vocant Messiam filium Joseph; Et alibi Messiam filium Ephraim, qui cæsus in ultimo bello Gog, & Magog, ostendet se esse (fortè legendum non esse) Messiam filium Davidis, qui erit, ut dicunt Oseas & Ezechiel, princeps æternus omnium XII. Tribuum. Messie istius filij Ephraimi mentionem faciunt multis in locis sapientes, maximè vero in Thalmud Babylonico in tractatu Sucea cap. 5.





ubi moriturum eum ajunt in ultimo bello Gog & Magog, & ita explicant cap. 13. Prophetæ Zachariæ: Et aspicient ad me, quem confixerunt, plangentq; super eo, ut solet super unigenito filio. Addunt etiam, quòd quatuor Duces, de quibus Prophetæ idem loquitur cap. 11. sunt Messias filius Davidis, Messias filius Josephi, Prophetæ Elias, & summus sacerdos, quæ quatuor istæ dignitates sunt, quæ in isto seculo beato ostendent potentiam suam. Advertite autem, quòd aliquando vocent Messiam filium Ephraimi, aliquando Josephi: Prodiabit enim ex tribu Ephraimi, & erit Dux omnium decem tribuum, nomen Ephraimo dantium, propterea quòd primus eorum Rex Jerobeam ex ista tribu fuit. Non sine ratione vocant ipsum filium Josephi; ipse enim erat verus typus domui Israelis propter incarcerationem suam, ac subsequentem felicitatem. Adde, quòd tam diu fratres suos latuerit, ut plane ipsi ignoraretur: prorsus ut hodie decem tribus, quæ, ut ut captivas se dicant, postmodum tamen ad summum felicitatis fastigium ascendent eodem, ac Joseph, modo. Iste Messias Josephi morietur in prælio Gog, & Magog, & postea resurget, ut fungatur dignitate istâ, non sceptro quidem Regis, sed munere tantum vice regis, ut Josephus in Ægypto, eo quòd imperiû domus Israelis, quòd cecidit sub regno Osee filij Ele, non resurget. ut ait Prophetæ Amos c. 5. vers. 2. non restaurabitur igitur regnum decem tribuum, ut monet Ezech. cap. 37. sub imperio Messia filij Davidis, qui erit æternus, & per mortem Messia, filij Josephi, agnoscent X. tribus Deum nolle, ut plures habeant, præter unum, principes; &c. Idem Menasse libro III. de resur. c. V. hæc tradit; Omnes Rabini in eo consentiunt, Israelitas post reditum in patriam suam, qui redemptionis tempore futurus est, non planè & perfectè omni tranquillitate & pace fruituros, nisi demum post confectum postremum, ac ultimum bellum Gog & Magog. Futurum enim est, ut postquam Israelitæ in Palestinam redierint, gens illa Gog & Magog ad invadendum ac occupandam terram illam, & quidem cum ingenti hominum multitudine, infinitisq; militum copijs, eâ spe, animoq; ut regnum atq; imperium illud sibi vindicet, non aliter quàm Gothi olim Vandatig; vili turba comitati, opulentissima regna subjecerunt sibi, & de illis triumpharunt. Et quanquam fortè persuasum habituri sint, non nisi singulari providentiâ divinâ Monarchiam istam Judai-

cam



CAPUT XXXVIII. ET XXXIX.

cam erectam esse, forte tamen cogitabunt, eam ad tempus tantum aliquod duraturam esse; ac proinde eam non minus tum à se everti, ac subjugari posse, quam eversa, aut subjugata olim fuit à Nabuchodonosor & Tito Vespasiano. Hanc spe, ac fiducia armata manu invadent gentes ille terram sanctam, eamq; expulsis iterum Israelitis, in potestatem suam conabuntur redigere. Quod conatur probare imprimis ex hoc vaticinio. Hoc autem praelium, ait Menasse, in fine mundi committetur: nam postremo ac ultimo ejus die, concutietur tota terra, & in partes dissoluta dissipabitur inundationibus, terræ motibus, & id genus aliis ruinis. Ac tum destruentur universa, Gog cum omnibus gentibus delebitur, & ex eorum clade, tot cadaveribus terra complebitur, ut septem mensibus opus futurum sit, ad cadavera sepelienda, & expiandam terram.

Sed commenta *ἀσύνετα*, anilibus fabulis ineptiora, recitasse est solidissime refutasse. Et videmus hic palam, ex mera desperatione Manasseni adventum Messiae in finem mundi rejicere. Quo pacto illis Messias terrenus, in quem per tot secula sperarunt, nulli usui erit, neq; ea, quæ de ipsius praelio hic prædicta somniant, ulatenus sibi constare poterunt. Si templi tertij, quod somniant Judæi, extractio cum adventu Messiae conjungenda, quomodo hic ad finem mundi rejici, & cum illo concurrere potest, nisi forte post resurrectionem mortuorum demum & extremum judicium templum materiale exstruendum dicere velint. Quod dicit quidem Menasse lib. III. de Resurrect: c. IIX. sed quam ineptum id sit, atq; absolum, nemo non intelligit.

Verum, ut fabulæ illius de congressu gemini Messiae cum Gogo textura, & origo plenius constet, subjungere ex auctore Afkath Rochel ab Hulsio edito, nonnulla placet. Ita a. sub signo Messie septimo pag. 51. habetur: Deus mirabilium patrorum prodigium ostendet in mundo: dicunt Romæ lapidem marmoreum esse puellæ formosissimæ formam referentem, qui non manu sit effectus, sed virtute divinâ creatus sit, ad hunc lapidem sceleratissimi ex mundi nationibus convenient, eumq; calefacientes concumbent cum illo, Deus autem guttas seminis eorum in medio lapidis conservabit, creabitq; creaturam in illo, ac infantis speciem formabit, tandemq;



## AD EZECHIELIS

demq; lapide disrupto formam hominis educet, cui nomen erit Armillus, qui adversarius erit, & gentes illum vocabunt Antichristum. Longitudo ejus erit duodecim cubitorum, & inter utrumq; oculum ejus spatium erit; oculis profundis & rutilantibus, capillus capitis ejus erit sicut color auri, plantae pedum ejus erunt virides, & duosq; habebit vertices. Hic ad impios accedet, & ipsis dicet; Messias ego sum, ego sum Deus vester, qui statim in ipsum credent, & regem se constituent, associabuntur ipsi omnes posterii Esau. Contra hunc proditurus dicitur in praelium Messias Ben Joseph, qui Nehemias Husielis filius, cum triginta millibus Israelis, ijsq; primum quidem prospere, at in secundo praelio ipsum Ducem amissuri Messiam, cujus corpus angelus ministerij sublati sunt, atq; asservaturi cum Patriarchis: post hunc sequetur Messias Ben David, una cum Elia, ad quem reliqui inter Judaeos se congregabunt, atq; Armillo resistent. Messiam autem Deus ad ineundum bellum non adiget, sed dicet ipsi solum modo, sede ad dexteram meam. Psal. 110. 1. Ipseq; dicet Israelitis, sistite vos, & salutem Domini aspiciate, quae hodie vobis parabitur. Et confestim ipse Deus pugnabit cum hostibus, quod dicitur Zach. 14. 3. Et exhibit Deus & pugnabit cum gentibus illis, sicut illo die quo pugnavit, die conflictus. Demittetq; Deus ignem & sulphur à caelo, id quod dicitur Ezech. 38. 22. Et disceptabo cum illo peste & sanguine, lapidesq; immanes grandinis, ignem & sulphur de pluam super illum. Et illicò impius Armillus morietur cum toto exercitu suo omnibusq; impijs, qui Domum Dei nostri vastarunt, & à terrâ nostrâ nos deportarunt. Illâ ipsâ horâ vindictam de illis sument Israelitae, quia dicitur Obad. 1. 18. Eritq; domui Jacobi velut ignis, & domui Joseph flamma, domui autem Esau in stipulam & coc. Tum clanget Michael clangorem magnum: & quae porro sequuntur, supra adducta. Sed nugarum satis, & fortè plusquam satis.

Quarta sententia Veterum quorundam Chiliastarum est, post occisum Anti Christum de caelo appariturum, & resurrectionem futuram, ac Sanctos cum Christo per mille annos in his terris in summâ pace regnuros esse, illis autem finitis diabolum solutum iri, & bellum excitaturum contra Sanctos, de quo hic Ezechiel agat, & Johannes Apoc. XX. Quam opinionem, etsi veterum multorum sit, utpo-



CAPUT XXXVIII. & XXXIX.

utpote *Papiae*, *Justini*, *Irenaei*, *Tertulliani*, *Apollinaris* &c. referente Hieronymo in c. XXXVII. Ezech. Eusebio lib. II. Historiæ Eccl. c. ult. jamdudum explosam esse, ceu errorem exploratum, rectè Bellarminus ait. Quia resurrectio mortuorum corporalis non nisi unica in fine mundi futura, & Anti Christi excidium cum ipsâ seculi consummatione & adventu Christi connectitur 2. Thes. II.

Neq; est ut Quintò de Eusebij sententiâ lib. IX. demonst. Ev-ang. c. III. multum solliciti simus, qui Gog esse Imperatorem Romanum, & Magog Imperium ejus, statuit, quia nullo alio nititur fundamento, quam alienâ loci Num. XXIV. translatione, apud LXX. Interpp. qui Agag reddidere per Gog. Extolletur Gog regnum, & au-gebitur regnum ejus. In Ebræo est: Exaltabitur magis, quam Agog Rex ejus, id est, Reges Ebræorum potentiores erunt finitimis regi-bus, & potentissimis, qualis fuit Agag.

Quod Sextò ad Papicolas, qui de Anti-Christo suo utopico interpretantur, prodituro contra Ecclesiam Christi, quam Bellarmi-nus probat, refellit socios suos Cornelius à Lapide Jesuita his ar-gumentis: quia Gog non si Anti-Christus, quia Gog sepèliri de-buit in terrâ Israel ad orientem maris, Anti-Christus verò vivus abri-pi ad inferos; Gog vocetur Princeps Mesoch & Thubal. Anti-Chri-stus autem multo plurium nationum sit princeps. Fingit tamen adhuc Valentianus, ad Anti Christum illum suum Judaicum in Jerusalem venturos exercitus Gog & Magog, ut in eâ, & in totâ Judæâ Christia-nos, qui eò confluxuri sint, ut Eliam & Henoch concionantes audi-ant, deleant. Quæ commenta similis moneræ sunt cum Rabinicis fabulis, & tum fidem invenient, cum Anti Christum è Tribu Dani-ticâ oriturum, & resurrectionem Eliæ & Henochi ante finem mun-di futuram esse, demonstrabitur.

Septimò Hieronymus, & qui eum sequuntur, tum Tyconius hom. XVII. Haymo, Beda, in Apoc. XX. Prosper Aquitanicus cum alijs, tum Augustinus quoq; lib. XX. de Civit. Dei c. 21. mysticè inter-pretantur singulas voces, quæ populos certos sonant. Juxta Ety-mologiam indagantes spiritualem quandam significationem; ut quia Gog tectum sonat, heresiarchæ, qui instar tecti elati, ac superbi sunt



sunt, notentur. *Magog* quod interpretatur *de tecto*, significet, eos, qui hereticis credunt, atq; ita porro. Sed nimis manifestum est, describi certum regnum, ac certos populos, quorum nomina provincias, & situm expressit Spiritus Sanctus, neq; in tam operosa populorum, à nominibus gentilibus, & patronymicis descriptione, illa omnia *allegoricè* exponi possunt, nisi vim textui insignem facere velimus.

*Octavo* Nonnulli cum *Galatino* in genere *hostes Ecclesie* hic describi volunt. Quæ sententia placuit etiam *Johanni Hornbeck* de convers. Jud. lib. III. c. II. pag. 252. *Meâ sententiâ non designatur hic certa aliqua persona per Gog, principem Mesach & Thubal; sed sub illo nomine in genere hostes Ecclesie, & quomodo Deus illos sit coerciturus, ac pessundaturus. Non ergo vel, solum Antiochum, ejusq; persecutiones, aut AntiChristum Romanum; sed quoscunq; Ecclesie inimicos & adversarios denotari sub illo nomine existimo, & quomodo tum illi contra Ecclesiam, tum Deus pro Ecclesiâ contra illos bellum gesturus, eosq; perditurus sit. Sed conditiones individuantes, quibus Gog, & populi pugnantes contra Ecclesiam; ac populi ipsorum auxiliarij hic & nunc Ecclesiam aggredientes, & bellum ipsum, ac locus, & exitus belli definiuntur, cogunt nos intelligere certos populos, nisi relicto sensu literali ad allegoricam & Etymologicam quandam interpretationem, allusionemq; abire velimus, contra morem & consuetudinem hujus Prophetæ, & aliorum vaticiniorum similium, & contra leges bonæ interpretationis.*

*Nono B. Ambrosius* lib. II. de fid. cap. ult. *Gog* vult esse *Gothos*, quam sententiam in medio reliquit *S. Hieronymus* in quæstionibus Hebræis: in Gen: c. X. Noster verò *B. Hulsemannus* in commentario in *Ezechielem* ἀνευδότηω, prolixè adstruit (etsi in temporis articulo, quoad complementum vaticinij à metâ aberrasse *Ambrosium* agnoscat) & ceu *Ambrosio* ὁμοψήφως, adducit *Proclum Constantinopolitanum* apud *Socratem* l. VII. c. 41. *Nicephorum* l. XIV. c. 38. *Isidorum Hispalensem* in etymologia nominis *Gog*, *Aretam* in cap. XX. *Apoc:* quod per hos tyrannos *Gothi* & *Vandali* intelligantur, qui seculis *Theodosii*, *Valentis*, *Gratiani*, & succedentium Imperatorum ante hos mille ducentos annos ecclesiam in *Thraciâ*, *Italiâ*,  
Afri-



CAPUT XXXVIII. & XXXIX.

Africâ, & quâdam parte Asiæ, in Hispaniâ item vastârunt. *Nostra*, inquit, *sententia est, primariò ac radicaliter per Gog & Magog intelligendos esse Gothos populos Suecia.* Quod probat inde (1.) Quòd *Gothi à Gogo dicti sint, antiquorum Historicorum consensu.* (2.) Quòd *Historici Veteres pariter & Recentiores Magog, nepotem Noæ primum Suecorum Regem internum constituent.* (3.) Quod *extenderit se olim imperium Gothorum ad Scythiam Europæam, quæ hodie sub Turcarum imperio est. Imò & hodie Careliæ & Ingriæ fines in Moscoviam utramq; id est, in Scythiam Europæam & Asiaticam extendantur, teste Johanne Magno in præf: Histor: suæ c. IV. & in Histor. lib. I. c. I. c. VI. 12. Quodq; Gothi & Sueci, jam ante aliquot annorum millenarios, in unam gentem coaluerint, unde Scythæ, Lybices, & Æthiopes tanquam socij prælij Magogis hîc attinguntur, quia sunt Gothorum vicini, olim ante Constantini Magni ætatem, sub ipsorum potestate fuerint, & in eâdem terrâ continente habitent cum ipsis, versus Orientem scilicet & Septentrionem.* (4.) Quum plusquam 30. populi diversis seculis eruperint ex regione Gothorum, qui lautiori rei aliorum regnorum inhiantes sedes suas in Asiâ, Africâ, & diversis Europæ regnis fixerunt, mirum non esse, si Propheta Gothos primos constituat auctores irruptionis in terras fidelium, quibus deinde alij Barbari Aquilonares progressibus Gothorum invitati sese adjunxere. Quarum irruptionum à Gothis factarum exempla prolixè è *Johanne Magno* adducit, & quod Romam ipsam occuparint, quasq; calamitates in Ecclesiâ sæpe procrearint, antequam ad fidem Christi conversi sunt, variis testimoniis confirmat. (5.) *Principem & caput eorum vel præcipuum Mesoch recte dici Gogum illum observat, sive vox Mesoch de Cappadocibus cum Hieronymo & Josepho, sive de Moscovitis cum Tirino & Menochio, sive de ipsis Scythis ad Paludes Mæoticas habitantibus intelligatur, quia, teste Johanne Magno, Gothi hæc Asiæ & Europæ regna occuparunt, suosq; ibi posteros reliquerunt: Eâdem ratione Principem Thubal vocari sive Hispanos Lusitanos, aut Iberos vel Castilianos cum Prato, Saâ, Sanctio, & Maldonato, sive cum Bellarmino Hispanos illos, qui in Americam & regnum Peru transmigrarunt intelligamus, quia potissima pars hodiernorum*





colarum Hispaniæ ex Gothis orta sit, eodem Johanne Magno docente. Quanquam verò *B. Hülfemannus* primario & radicaliter Gothos intelligendos esse velit per *Gog & Magog*, qua Gothis gentilibus primæ irruptiones in terras fidelium, ac gravissimæ persecutiones ac vastationes factæ, eorumq; exemplo alij Barbari invitati sunt, persecutionem tamen novissimam, quam ab Ezechiele designari censet, ad *AntiChristum Romanum* simul refert: de quo ita ad cap. XXXVIII. 1. *Decima opinio, quam Bellarminus suam facit, quamq; sequuntur pleriq; moderni Papistæ (non omnes tamen) exponens Gogum de Anti-Christo, Magogum de populo seu exercitu ejus, nobis adeo non adversatur, ut credamus, Romanum Pontificem adscitis aliquando Barbaris Septentrionalibus Turcarum, Tartarorum, Moscorum, aliorumq; populorum, qui Scythiam hodie incolunt, superpetiis afflicturum esse Ecclesiam: quia illa persecutio à Gog & Magog de quâ Apoc. XX. erit omnium ultima ante finem mundi, ut connexio vaticiniorum cum Apocalypsi facile ostendit, & Hieronymus & Augustinus rectè annotarunt. Sed Anti-Christi sedem seu locum in lateribus Aquilonis futurum, vi horum vaticiniorum Ez. XXXIIX. 15. c. XXXIX. 2. aut Anti-Christum ipsum esse Gog, mere nugæ sunt nullâ probabilitatis specie vestitæ: Quamobrem nec refutationem merentur.*

Hæc noster *ὁ μαχαρίτης*, cujus argumentis de Gogo & Magogo fidem etiam conciliant, quæ *L. Paulinus Gothus Theologus & Episcopus Stregnensis in Historiâ Arctoâ de Suecorum, & Gothorum Imperatorum rebus gestis, inde usq; à Magogo, tum internorum, tum externorum, usq; ad finem Regni Ostro-Gothici in Italiâ, & Westro-Gothorum in Hispaniâ, tradidit. Monarchia, inquit, Sueco-Gothica originis suæ autorem agnoscit Magogum Noei ex filio Japheto Nepotem: Gen. X. 1. Magogus igitur ex ostiis fluvij Tanais versus Septentrionem tendens primum in eâ Scythiæ parte, qua nunc Finlandia, alias Finningia vocatur, imperabat. Deinde, transmissis Venedici ac Botbnici maris sinu, in Scandiarum peninsulam tria amplissima regna, scilicet Sueciam, Gothiam, & Norwegiam continente n, magnâ populî multitudine serratis navibus vectus pervenit, & eas gentes ex suo nomine, ut Author est Josephus, Magogas nominavit, quibus postea*  
tâm



*tam Latini, quam Græci Scytharum nomen imposuerunt. Hæc ille. Secundum ergò Sueonicæ gentis Rectorem & propagatorem Magogi filium Suennonem facit L. Paulinus Gothus, qui populis sibi subjectis & terræ Sueconix s. Sueciæ appellationem indiderit; Tertium verò GETHAR, (secundo genitum Magogi) alias Gogum, qui nomen suum Gethis, sive Gothis, quibus præerat, adaptandum curarit.*

Cæterum, quum Beati Soceri mentem de complemento vaticinij hujus prophetiæ de Gog & Magog, ut verum fatear, non plenè assequar, neq; appareat, quomodo novissimis temporibus, & novissimæ persecutioni, quam hic, & Apoc. XX. describi censet, sententia illa de Gothis aptari possit, si *Turca, Tartari, Moschiq;*, Ecclesiam novissimè afflicтури, intelligantur, aliis judicium de eadem, & de principe Tyranno Gotho permitto. Id tamen addo, *B. Philippum Nicolai*, etsi lib. II. de Regno Christi Tom. II. operum p. 137. per *Gogum* intelligat *Anti-Christum majorem, externum Mahumetem, præcursores ejusdem, per quos ille de lateribus irruerit in regna & principatus Christianorum Gothos, Vandalos, Alanos, Herculos, Hunnos &c. fecisse. Ejus explicationis hanc Apologiam subjunxit, p. 186. Cæterum, si quem hic malè habuerit, quòd bella, non à Turcis tantum & Tartaris, verum etiam ab Hunnis, Gothis, Vandalis, Alanis, Herulis, Longobardis, Bulgaris, Schlavonibus, Anglis, Francis, Alemannis, Burgundionibus, & olim adversus Imperium Romanum & Christianos mota, Gogitica expeditioni, in montes Israeliticos accenseam: Is diligenter Catalogum gentium Gogitis subvenientium intueatur, memineritq; non absq; causa vocari latera Aquilonis locum Gogi, cum Gog tantam populorum copiam, suos conatûs viriliter promoventium, inde consecutus sit, & gentes illæ originis partim Henetæ, partim Germanicæ (antequam Christo adducerentur) aliæ pagano furore, Ecclesiam Domini forinsecus oppugnarint; aliæ Arianismo patrocinatæ sint, & sic omnes Anti-Christi majoris extra Ecclesiam Christi positi, id est, Mahumedis Spiritum prodromum foverint & adjuvarint. Nec est, quod objiciatur: Si prisca illæ gentes, genus ab Henetis, & Germanis ducentes, propterea Gogitis sunt connumerandæ, quòd Ecclesias Imperij Romani, fu-*



AD EZECHIELIS

ni, furore & Ethnicâ cecitate, hostiliter infestarunt: jam eodem argumento & ipsos Imperatores Romanos, Neronés, Trajanos, Commodos, Heliogabalos, Valerianos, Maximinos, Diocletianos, aliosq; paganis adhuc superstitionibus demersos ( qui Ecclesiam affligerunt ) in eundem ordinem redigi, ut Gogitico Spiritui pabula & nutrimenta, impetu cæco præbuisse censeantur. Prompta occurrit solutio, discrimen esse inter persecutionem ab Ethnicis Imperatoribus motam, & eam, quam prisca illa gentes excitarunt. Cæsares enim pagani, Ecclesiam Christi lanienæ, calamitatibusq; persecutionum continuis adsvetam affligerunt: At Hunni, Heruli, Longobardi, Franci, Angli, Picti, Sclavones, Bulgari & Rbuteni ( cum Paganismum adhuc defenderent ) Ecclesias provinciarum, Imperij Romani, non amplius Imperatorum gentilium furoribus expositas, sed inde eluctatas & pace publicâ gaudentes, tyrannicè vexarunt, & exercuerunt. Ezechiel verò & Daniel, simul contestantur, Eos Gogitico Spiritu duci, qui tùm Ecclesiam forinsecus adoriuntur, cùm ablatum fuerit jugum persecutionis, sacrificium, & cùm Israelitæ, finitâ dispersione manus populi sancti, respirarint, adeoq; à gladio recollecti, securè & confidenter habitârint. Unde planum fit, licet Ethnici Imperatores, non minùs Ecclesiam Christi, quam majores nostri Septentrionales, gentili adhuc cecitate laborantes, atrociter forinsecus persecuti sint: tamen non utrosq; accensendos esse Gogitis, sed hos tantum posteriores Mahumeturiis, qui Israelitas sive Christianos, à gladio persecutionis liberatos, & in tranquillitate publicâ collocatos, cædibus & rapinis exagitarunt. Hactenus B.Phil. Nicolai.

Decimæ explicationi ansam præbuit Theodorus Bibliander, quam Bellarminus ( suum ordinem sequutus ) ita recenset: Quinta, inquit, est Theodori Bibliandri, quem sequitur Chytræus in commentario c. 20. Apoc. Igitur Bibliander tab. 14. suæ Chronologia, ubi accuratè differit de Gog, & Magog, & tandem docet, prophetiam Ezechielis & Joannis non pertinere ad idem tempus, sed Ezechielis quidem vaticinium impletum esse Maccabeorum tempore, & Gog & Magog fuisse Alexandrum Magnum, & posteros ejus Reges Syriae & Ægypti, qui cum Judæis multa prælia commiserunt, & à Maccabæis tandem superati fuerunt. Joannis autem Prophetiam impletam esse tempore



CAPUT XXXVIII. & XXXIX.

pore Gregorij VII. Papa, & sequentium aliquot Pontificum: Ac Gog & Magog fuisse Pontifices, & exercitus, qui diu pugnaverunt contra Saracenos pro terrâ Sanctâ, & Sepulchro Domini recuperandis. Hæc Bellarminus: qui verò minus fideliter illam sententiam, quoad pugnam contra Saracenos exposuit, ut scilicet eò facilius eam refellere posset, siquidem prælium Gog & Magog futurum sit extra castra Sanctorum, hoc est, dilectam civitatem, vel contra veram Dei Ecclesiam: Bellum autem Christianorum pro terrâ sanctâ recuperanda ductum fuerit. Longè aliter mentem suam exposuit B. Chytraus Bibliandrum sequutus in Apoc. c. XX. cuius *ἐνθεοῖο* addicimus, quia non facilè obvia est. Das aber Johannes saget / wenn Tausend Jar vollendet sein / werde der Satan wider los werden / zuverführen alle Heyden / Gog / und Magog / das er sie versamble zum Streitt / etc. bedeutet / das der Teufel widerumb viel sehrer und hefftiger in der Welt wüten / und das der Anti Christ sein reich viel weiter ausbreiten werde / den dies se tausend Jahr zuvor hat geschehen können. Die Tausend Jahr aber / sehet Theodorus Bibliander / in der 12. Taffel seiner Chronologie / nicht von der Auferstehung Christi / sondern von der Vollendung der Predigt der meisten Aposteln / nemblich umb das Jahr nach Christi Geburth 73. an / in welchem Jar Gregorius 7. Hellebrandus / Papsi zu Rom gewest ist / welcher mit Anti Christischer Tyranney und verfolgung der Christenheit / vornemblich aber Teutsches Landes / alle vorige Papsi weit übertroffen hat. Vnd eben zu der Zeit / haben auch die Türcken die fürnembsten Kirchen in Asia verwüestet / Antiochiam / Niceam / und andere Stätte mehr eingenommen. Bald hernach hat man den Zug in Asiam und Palästina vorgenommen / aus Anreizung des Papsi / welcher ob er wol mit Worten fürgab / als wolte er die Kirchen in orient beschützen / so meinet er doch in der Warheit nichts anders damit / den das er sein Primat / und reich über die Asiatischen Kirchen / auch gerne erstrecket hette. In welchem Zug





unzählich viel Christen von den Saracenen und Türcken seind erschlagen worden / vom Jahr Christi 1096. in welchen Gotts fried der Herzog von Lothringen / mit seinem Bruder Balduino und anderen fürsten mehr in Asiam erstmahls geschiffe ist : Bis aufs Jahr nach Christi geburth 1290. zu welcher Zeit Muslech der Saracenen Soldan Tripolim / Tyrum / Sidon / Berytum und Ptolemaida / die Städte (welche die Christen als lein dazumahl noch innen hatten) umbgerissen und geschleuffet hat. Und also ist die geliebte Stad und Heerlager der heiligen oder der Kirche Gottes / im aufgang und niedergang umbringe / und schrecklich verwüestet und geplaget worden / vom AntiChrist / Saracenen und Türcken / die den nachmals fast alle Christen in Asia / Africa / und den grossen theils Europæ unterdrucket haben. Diese Barbarische Völcker / sonderlich aber Saracenen und Türcken / so schreckliche und blutige Krieg wider die Kirchen Gottes führen / werden ( wie gar nahe alle Christliche Lehrer einträchtig halten ) durch die Wort / Gog und Magog bedeutet. Non ergo Mahumetanos & Saracenos fecerunt veram Dei Ecclesiam, & castra Sanctorum, ut calumniatur Bellarminus, sed illos Gogi & Magogi nomine significatos volunt, non excluso Anti-Christo Romano.

Applicavit autem hoc etiam ad hanc Prophetiam Ezechielis B. Cramerus in Biblijs suis, pleniusq; tractavit. Quibus DN.D. Molterus in Judaismo refutato calculum suum non denegare videtur omnino lib. 1. c. XXII, p. 928. Wenn diese Niederlage geschehen sol / ob sie geschehen / oder noch zukünftig sey / möchte ich lieber andere davon hören / den selbst reden. Doch niemand fürzugreifen / wil ich meine Meinung hievon einfältig sagen / und gleichwohl einen ieden seine Meinung lassen. Sage man / das ein solche Schreckliche Niederlage / da der Türke / wie etliche vorgeben / kurz für dem Jüngsten Tage sol ganz zerschlagen werden / noch vorhanden sey : was ist das anders / als die leute sicher machen / ehe nicht die Anfunft Christi zu glauben



glauben / den das dis ins Werck gerichtet sey? und wo bleibet  
 der Daniel / der da saget / Er werde den Sieg so lange behal-  
 ten / bis der Alte das Gericht halte. Darumb halte ich es da-  
 für / diese Niederlage sey all geschehen / und zwar in dem  
 Jahr / als man geschrieben hat / nach Christi geburth / Tausend  
 und Sechs und neunzig / da der Türckische Mahumed schon  
 bald in die fünf hundert Jahr von seinem anfang her gewütel  
 und getobet hatte. Dann da hat das Römische Reich den  
 mächtigen und tapffern Helden Gottfried / Fürsten und Herkos  
 gen aus Lothringen / sampt seinen Brüdern und andern viel  
 Tapffern Fürsten und grossen Herren / ins Gelobte Land ges-  
 chicket / mit Sechsmahl hundert tausent man zu fus / und  
 hundert tausend geharnischte Männer zu Ros / gegen welche  
 der Bog und Magog eine solche Macht ins Feld gebracht  
 hat / das Bonfinius darvon schreibet: innumerabilem Tur-  
 carum & Sacracenorum multitudinem fuisse, es sey eine un-  
 zählliche Menge / wie eine wolcke / wie Ezechiel / oder der  
 Sand am Meer / wie S. Johannes saget / der Türcken und  
 Saracenen / unter dem Solimanno / wider sie gezogen: wie  
 es abgelauffen saget Bonfinius ferner: Inaudita Barbarorum  
 caedes edita, praeda incredibilis inde relata. Es sey eine  
 unerhörte Schlacht der Heyden geschehen / darüber sie einen  
 ungläublichen grossen Raub erlanget haben: wie sie den auch  
 so glücklich gesieget / das so viel herrliche Städte ihme mit  
 macht abgeschlagen / und eingenommen: als Niceam / Ans-  
 tiochiam / Jerusalem / Tarsem / Tripolim / Joppen / Ascas-  
 lon / Porphyriam / Tyberiam / in Summa ganz Celitiam /  
 Syriam / Mesopotamiam / den Türcken aber nach Egn-  
 pten getrieben haben / auch ihren Sieg so hoch gebracht / das  
 Gottfriedus zum Könige zu Jerusale öffentlich / doch mit einer  
 dornen Kron / Christo zu Ehren / gekrönet worden. Welches  
 Königreich auch die Christen ruhiglich von Eroberung der Stad

Nicaa



Nicaea an ganser Neunzig Jahr besessen / und vielfältigen Sieg wieder den Erbfeind erhalten haben / Es sind auch hieauf entstanden die heiligen Orden / der Johanniter / und Rosdieser / der Tempelherren / welches alles wieder dem Türcken sendt dem gerichtet worden / wie hievon Wilhelmus Tyransus / Antoni / Bonfinius, Henricus Pantaleon, Albertus Aquensis, Melanchthon, Funccius, Loniceus, und andere mehr noch zu lesen sind. Wenn man nun den Text des Propheten ansihet / so schicket er sich ohn allen zwang durchaus hierauf gar wohl. Denn 1. war des Türcken macht zu der Zeit sehr gestiegen / und übete etliche hundert Jahr her grosse Tyrannen wieder die Christen. 2. sein gros heer Menge und beystand der Völcker trift mit ein. 3. seine ausrüstung. 4. was den Ort beslanget / ist es eben geschehen auf dem Berge Israel / welches den das Land ist / das vom Schwert ist wiederbracht: den es ist ja geschehen nach der Römischen zerstörung der Stadt Jerusalem. 5. Ist geschehen durch das Volck Israel / das ist die Christen / welche des Glaubens Israels sind / und dennoch ein solch Israelitisch Volck ist / welches aus vielen Völkern (Juden und Heyden durch den Glauben) wiederbracht ist. 6. Ist es eine solche niederlage gewesen / davon man möglich sieben Jahr wol hat an Tartschen / Pfeilen / und Bogen in derselben Gegendt Holz genung haben können: ohne das der numerus finitus pro indefinito kan genommen werden / denn sind die Christen sechsmahl hundert tausent gewesen / ohne die so sie allda für sich im gelobten Lande gefunden haben / so sind zum allerwenigsten der Bogiten / Türcken / und Saracenen gerne noch einmahl so viel gewesen / da gedenecke man / was das für eine Schlacht gewesen / und ob nicht an Schilden / Tartschen und Pfeilen / über die tausend mahl tausend Stücke zu zehlen gewesen: und ob nicht davon die Christen des orts lang mügen in den warmen Ländern Fehrung haben / die Thier und  
Vögel



Vögel unter den Himmel gute Schnabelweide werden gefunden haben / laut des Buchstabens. Und sehe ich nicht / was hier wieder aus dem Text könne aufgebracht werden / als das man sagen möchte / Gott verspreche gleichwohl hie das Gefängnis Jacobs zu wenden / und daß sie nach solcher Schlacht im Lande sicher wohnen würden: Nun sey gleichwohl der Türke wieder mächtig worden. Darauf ist die Antwort / das diese wort zu vergleichen sein (ja dem klinge nach eben dieselbe sein) damit Gott die Wiederkunft und Sicherheit seinen Volck nach der Babylonischen Gefängnis verheissen hat: Darumb kan unser Glück nicht anders seyn / als der Juden nach der Babylonischen Gefängnis war / da sie zwar wieder gebracht worden sind / und sicher gewohnet haben / aber dennoch also / das sie ohne grosse anfechtung der Feinde / davon sie errettet waren / nicht geblieben sind / wie aus dem Esra und Nehemia / und aus den Historien der Maccabeer / zu sehen ist: den Creuz mus mit unterlauffen / und gleich wie Gott die Cananiter verstorete / und dennoch die Israeliten an den überbliebenen eine Zucht / Ruthe haben müsten / Jud. c. 2. v. 3. und c. 3. v. 4. also hält auch Gott mit seinen Christen / und haben wir Gott zu danken / das / ob wol die Christen auf den Gränzen von den Türcken unangefochten nicht bleiben / das dennoch der größte hauffe der Christen in Spanien / Italien / Frankreich / grossen theils Deutschen Landen / Polen / Muskaw / Schweden / Dennemarck / Engeland / Niederland / ja Türcken selbst / von ihm noch ganz sicher / Gott lob / wohnen / und wohnen haben können. Und so viel von den buchstabens verstand dieses Textes: doch keinen zum vorgriff. Nützet zur warnung. Denn ist diese Schlacht schon geschehen für sechs hundert Jahren / und wurd diese Zeit schon damaln von den Propheten die letzte Zeit geheissen / und S. Johannes bald darauf den weissen Stul setzet / das daher unfehlbar zu

K

schliessen



schliessen / das der liebe Jüngste Tag müsse nahe für der Thüre sein: Mühet auch zubedencken / wie herrlich allda G. D. den Nahmen Christi unter den Heiden ausgebreitet / und sich wider den Gotteslästerlichen Mahumetischen hauffen bekand gemacht habe / in allen orten der Welt. Hæc B. Cramerus, & ex eo Dn. D. Müllerus.

Alij tamen *undecimò* Turcas quidem indigitariâ Prophetâ admittunt, malunt tamen nondum completam esse hanc Prophetiam, sed his *novissimis temporibus* adhuc restare implendam. Quæ sententia est *Magdeburgensium Centurionum* Cent. I. lib. II. c. IV. Column. 435. & *Osiandri* in Paraphrasi, quæ explicatio etiam *B. Lutheri* fuit in glossis Marginalibus, & cæteris præferenda videtur. Interpretationem tamen planè peculiarem, & per omnia mysticam *Philippus Nicolai* tradidit, quæ loco citato legi poterit.

*Duodecimò* *Theodoretus* in c. XXXIIX. Ez. & *Bibliander*, nec non è Pontificiis *Sanctius*, è Calvinianis *Tremellius*, *Junius*, *Piscator*, *Polanus* de *Antiocho* explicant: Quam sententiam interpolavit hic *Grotius*.

Nonnulli *decimò tertio* conjungunt hanè & præcedentem explicationem, ac Prophetam tum de Antiochi adversus Israelitas, tum de Mahumetanorum vel Turcarum adversus Christianam Ecclesiam tyrannide vaticinari volunt, ut pote *B. Pappus*, & *Vinarienses Paraphrastæ*.

Alij *decimo quarto* partim de *Antiocho*, partim de *Anti-Christo Romano*, cujus ille typus fuerit, explicant. Quæ *ἐκ θεοῦ* probata fuit *Paraphrastis Belgis*. Sed quum gemino ejusmodi sensu verbis & Phrasibus plerisq; diversa & disparata significatio inducenda sit, calculum is nullum meretur, ut alia taceam ejus incommoda.

Simplicior verò, certior, atq; luculentior est *B. Lutheri* explicatio, quemadmodum in progressu constabit. Notasse hic sufficiat tantum nonnulla adversus *Grotianam interpretationem*, quæ obstant, quò minus eidem subscribendum esse censeamus. Primò autem *συνέχεια* illa, quam fundamenti loco substernit, cum præcedenti capite, nulla est: Quæ *ψευδερμνεία* nititur, quasi  
*verbis*



CAPUT XXXVIII & XXXIX.

verbis præcedentibus liberatio è captivitate Babylonicâ prædicatur, nunc verò pericula, quibus exponendi in terrâ Judæi sint, describantur. Quum verò antecedens falsum esse jam demonstratum sit, temerè infertur consequens.

Deinde versio, quam optimam dicit Grotius: *Pone faciem ad Gog & Magog terræ principem*, minus congruit: Nam in Ebræo est ad Gog terram מַגּוּגִים Magogi. Neq; permittit accentus, vel collatio capitis XXXIX. i. ut מַגּוּגִים Principem ad voces præcedentes retrahamus, quasi dicatur *Princeps terræ Magog*. Quum ad sequentes pertineat. Distinctos etiam esse τὸν γῶγ καὶ τὸν μαγῶγ Apoc. XX. v. 8. indicatur, ubi pro populo utraq; vox accipitur. Non ergò cum Grotio unum *Antiochum* terræ Magog principem designari, credendum est. Tertio nimis precarious, minusq; consentaneum est, quod Gogi nomen à *Lacu Gygeo* deducit, ac porrò ad *Gygem*, qui *Lydiam & vicina Asia loca* possederat, se recipit. Quia scilicet *Lydia in parte Lagidarum* fuit, quorum ex genere *Antiochus*. Quarto terram *Magog Syriam* facit, quod in eâ *Hieropolis* dicta *Magog Plinio*. Sed interpretes *Plinij Sigismundus Gelenius, Lipsius, Dalecampius, Casaubonus, Johannes Annius Viterbiensis* Commentario in *Berosum* negant, verba ejus ita accipienda esse, quasi *Hieropolis* linguâ *Syrâ* *Magog* nominata sit. Siquidem *Josephus* provinciæ illi proximum nomen illud taciturus non fuisset. Quibusdam videtur à *Plinio per Magog Idolum aliquod Hieropolis cultum* designatum esse. Tum si omnino urbs quædam *Syriæ* ita dicta, non potest ea hic intelligi. Quia *Syria Chaldææ*, in quâ hanc visionem habuit *Ezechiel*, *Meridionalis* est, non *Aquilonaris*. *Magog* autem hic constituitur *versus Aquilonem*. Præterea non urbs tantum hic notatur, sed *terra*, puta *provincia aliqua*, vel *regnum*, per *Magog*. Ideo *Hieropolis* intelligi nequit. Quapropter per *terram Magog* provincia vel *populus Magogi* insignis indigitatur. Constat autem *Magogo* *utramq; Scythiam, Europeam, & Asiaticam*, hoc est, omnia regna *Aquilonaria, Armeniam, Tartariam, Moscoviam, Lithvaniam, Finningiam, Sueciam, Gothiam, Daniam, Norwegiam*, inhabitanda, & gubernanda concessa esse. Ideoq; *Prophetiam* hanc ad *Gogum terram Magogi* directam respi-





cere orientalem AntiChristum Turcam & Populos Tartariæ non immerito *B. Lutherus*, & alij nostri Theologi censent: Magogas *Scythas* fuisse dictos *Josephus* autor est lib. i. c. XI. *Turcas* autem inter *Scytharum* populos esse, nullum dubium est, vid. *Plin.* lib. VI. c. VII. *Judei* ipsi gentes *Scythicas* intelligunt, teste *Hieronymo* in hunc locum, neq; diffiretur *Hieronymus* in 17. quæstione, & tradit etiam, *Magog Scythas* esse.

Quintò per *Mesoch* intelligendam esse *Cappadociam*, etsi *Hieronymo* etiam videatur, ut & *Josepho*, lib. i. c. XI. Alij tamen de *Moscowitis* intelligere malunt, quibus etiam nomen congruit. Per *Thubal Iberam Asiaticam* designari vult *Grotius*, alij *Hispanas* sive *Lusitanos* sive *Castilianos*; Alij *Armenios*; sed cum omnes circumstantiæ ostendant, populos Septentrionales hoc loco intelligendos esse, qui ad Orientem vergunt; *Walachos* per *Thubal* intelligendos esse autumat *Osiander*: Puto igitur, inquit, per *Gog Turcam*, per *Magog Tartarum*, per *Mesoch Moscovitas*, per *Thubal Wallachos* intelligi oportere ita, ut *Turca* & *Tartarus* primas in eâ expeditione teneant. *Johannes* enim in *Apocalypsi* *Gog* & *Magog* discernit: Et tamen penes *Gog* (*Turcam*) summum tunc futurum est imperium: Dicitur enim  $\text{וְנָרְאָהוּ} \text{ נִשְׁבַּע}$  Princeps capitalis, seu præcipuus, uti *Zach.* IV. 7. *Lapis capitis*, id est, præcipuus. P. CXXI. 5. *oleum capitis*, id est, *Balsamum optimum*: *B. Lutherus* in *Glossâ Marginali* *Mesech* und *Thubal* sind auch *Tartern* und das *Volck* das *hinter* / die man *Schütten* oder *Schotten* nennet / wiewohl *Mesech* lautet als kommen die *Moscowiten* von ihnen / das ist die *Rußen*. Probat *Joh. Cluverus*, in *Apoc.* c. XX. hanc sententiam, quam dicit esse *Centuriorum Magdeburgensium* & aliorum multorum nostratium, *Gog* esse *Principem Scytharum*, *Soldanum Turcarum*, de quo sunt *Magog* omnes illi populi *Scythici*, qui *Turcicum* imperium agnoscunt: Addit, quod nonnulli credunt *Anti Christum* esse *Gog*, id de *Orientali* verum est, qui manifestò *Ecclesiam* bello adoritur, non de *Occidentali*, quem sub nomine *bestiæ* descriptum vidimus, qui à *Gog* clarè distinguitur, & sub agni cornibus loquitur mendacium, inq; ipso *Dei templo*, hoc est, *Ecclesiâ* dominatur. *Philippus Nicolai* per *Gog* *Mahumetem*, per terram *Magog* universam *Turciam* per



per Mosoch & Thubal Moscovitas & Hispanos intelligit, & principem illorum dici vult, quod præ illis, qui & ipsi Ecclesiam orthodoxam hostiliter infestant, in principe tyrannidis loco existat.

Sextò, quod ad reliquos populos, qui hic connumerantur, etsi eorum nonnulli in exercitu Antiochi fuerint; quia tamen cætera Antiocho non conveniunt, quod à lateribus Aquilonis veniat, & in novissimo annorum, rectius de Turcarum copijs alij explicant. B. Lutherus Persen stossen ans Reich Arabia / darumb wird der Türck auch der ehliche haben / Gomor und Thogarma sein Sohn achte ich sein die Wenden / denn an Türkischem hoff redet man wendisch. Dedan ist ein Stück des reichs Arabia / so liget der Mahomed in Reich Arabia begraben zu Mecha. Osiander hanc habet Paraphrasin: *In exercitu tuo (ô Gog) erunt Persæ, Æthiopes, & Lybia cum eis, omnes scutati & galeati, quia etiam Gomor (ab hoc nepote Japheti Vandalos descendisse quidam putant) & universa agmina ejus: domus Thogarma, latera aquilonis & totum robur (seu agmen) ejus: i.e. aderunt tibi etiam populi, qui à Thogarma (Japheti nepote) orti sunt: qui versus Septentrionem habitant: populiq; multi, & varij tecum erunt in illâ, contra Christianos, expeditione. Etsi autem Turca hodie non omnibus prædictis populis immediatè imperat: fieri tamen potest, ut ex illis omnibus regionibus ingentem exercitum colligat. Nam & Germani aliis nationibus militant, quarum tamen imperium nondum agnoscunt. B. Cluverus ita habet: Producit Ezechiel Gog è terrâ Magog, quæ est Scytharum, adjungit autem illis Paras, hoc est Persas, qui sunt ad Orientem: Cusch, id est, Æthiopes: quin & Arabes quidam, ut Midianita olim sunt Cusch appellati. Put, id est Lybies ad meridiem: Gomer qui, sunt Galatae Josepho. Thogarma, qui Phryges, quos collocat ad latera aquilonis, Judææ scilicet respectu. Item Seba & Dedan, qui sunt Arabes Sabæi, & Petrae incolæ: Gen. 10. 7. & 25. v. 3. Quas gentes sub unum Imperium Turcicum tandem esse collectas, certum est, in quo Magog, id est, Turca & Tartari dominantur. Mesech Josephus vult esse Cappadoces, & ab illis initium imperij fecit*



AD EZECHIELIS

Ottomannus, è Bityniâ & Cappadociâ profectus, ad reliquam Asiam occupandam, ut rectè dicatur Princeps Mesech & Thubal, hoc est, Iberum; non Hispanorum, sed illorum, qui vicini Ponto & Colchidi, quos Moschici montes separarunt ab Armeniâ, ut scribit Strabo lib. 1. Et haud dubiè ex Mesech aut Moschicis istis montibus, nomen traxerunt Moschovite, qui vel Scythæ, vel Scythis non absimiles habendi. Similiter ferè Philippus Nicolai, qui tamen Gomer Germanos & Henetos facit, & domum Thogarma gentem Tartarorum, latera Aquilonis versus Septentrionem habitantium cum toto robore, cum omnibus hordis suis vel agminibus intelligit. Germanos autem atq; Henetos per hæreses Arianas, Macedonianas, Anabaptisticas, Calvinianas & similes viam præparantes Mahumetanis indigitari putat. B. Hulsemannus observat per Gomer & Thogarma Septentrionales populos, vers. autem 5. meridionales omnes interpretes intelligere, atq; illos Vandalos esse. Non ergo Gomer sunt Galatæ, neq; Thogarmæ Domus Phryges, vel Paphlagonæ sunt, uti Grotius cum Junio, Polano, Piscatore, Sanctio, Tirino, Maldonato vult, quia Galatæ Asiæ populus & Phrygiæ in minori Armeniâ incolæ in spherâ terrestri non obtinent latus Aquilonis, sed Orientis & Meridiei: Unde R. Jonathan, & Targum Hierosolymitanum, ut & Emanuel Saa, & Menochius Germanos hîc intelligunt.

Septimò itaq; non congruit *situs loci* Grotianæ interpretationi. Quod enim ille populos ad Aquilonem accipit, respectu Judææ, minimè quadrat. Quia Propheta in Chaldæâ constitutus erat, non in Judæâ. Ideoq; respectu Chaldææ intelligenda est designatio locorum versus Austrum, & ad latera Aquilonis, & respectu totius spheræ terrestri, non Judææ ratione. Adde, quòd S. Johannes, qui in Phathmo constitutus fuit Asiaticâ, dimensionibus locorum iisdem vaticiniorum definiat cap. XX. quamvis sub longè diversâ cœli plagâ Ezechiel fuerit constitutus, è quo manifestum est, *partitionem universæ spheræ respici.* Non ergò ad rem facit, quod Galatæ & Phryges Aquilonares censeantur ratione Judææ, quia de Aquilonaribus respectu Chaldææ, aut spheræ universæ sermo est.

Octavò locus invasionis non est *Palestina* præcise, uti sententia Grotiana infert, sed per *montes Israel* hospitia Ecclesiæ, per

Isr-



*Israelitas* Christiani intelliguntur, uti patet ex sanctificatione & glorificatione omnium omninò fidelium: qui nequaquam restringi possunt ad Judæos cap. XXXIX. 24. ut & ex Parallelis locis Prophetæ, qui per *montes Israel*, per *terram Israel*, quando de futuris beneficiis vaticinatur, nunquam intelligit adæquatè *Judæos Palaestinos*, sed Ecclesiæ Israelis posteros Rom. V. 6. seqq. Gal. IV. 18. Confer cap. XXXVI. 23. cap. XXXVII. 21. seqq.

Nonò *Temporis ratio* non convenit. Nam hæc eventura dicuntur in **NOVISSIMO ANNORUM, IN NOVISSIMO DIERUM** c. XXXIIX. 8. 16. quod itidem est *universim*, non ratione *certi populi* accipiendum. In novissimo mundi totius tempore, non longè ante diem extremum. Falsum est, quod Grotius affirmat: *hanc locutionem Ebraeam nihil aliud significare, quam TANDEM.* Nullum enim locum, parallelum adferre potuit: Ideoq; frustra ad hoc effugium se recepit; quum in aprico sit, hæc Phrasi *secula novissima* intelligi, ubi nulla in textu determinatio habetur. Non ergò ad tempora Antiochi, quæ nullo modo novissima censeri possunt, hoc referre licet. Notat etiam B. Hulsemannus singularem hujus temporis *ωσιφερον*, quod scilicet tale sit, de quo non unus aut alter Prophetarum, sed omnes à diebus antiquis prædixerunt, qualis periphrasis nunquam additur particulari cladi, cujusmodi fuit ea, quæ sub Maccabæis accidit, sed est propria eventuum sub Novo Testamento futurorum *Luc. I. 70. Act. III. 18. 21. cap. X. 43.* Confer *Dan. IX. 10.*

Decimò Antiochi persecutio tanta non fuit, quantam hic prædicit Propheta: Vid. *vers. 23.* & confer *Ez. XXIX. 4. Jer. XII. 41.* Ineptissimè hæc à *Sanchez & sequacibus*, judice B. Hulsemanno trahuntur ad *persecutionem Antiochi, tempore Maccabæor* 2. *Maccab. IX. 12.* *Vehementior enim est hæc Hyperbole, quam ut accomodari illi tempestati possit, de disjectione piscium maris, volucrum cæli, bestiarum agri, omniumq; reptilium.*

Undecimò non respondet clades Antiochi vaticinio præsentis: Nam nec intestinis motibus socij Antiochi se consumpserunt, quemadmodum hic dicitur: *Gladius uniuscujusq; in fratrem dirigitur, nec igne & sulphure cœlesti deleti sunt, nec quæ c. XXXIX. v. 7. seqq.*



v. 7. seqq. de Gogo prædicuntur, aut quæ versu 9. seqq. de habitatoribus in civitatibus Israel ignem ad consumenda arma paraturis habentur, cladi Antiochi congruunt; unde hic Sanctio aqua hæsit. Torquet sane *combustionem illam armorum ad victoriam Judæorum de Nicanore. 2. Macc. IIX. 27. Jesuita Sanctius*, sed ibi arma & spolia hostium *congregata ac viduis divisa*, non verò *exusta* dicuntur: neq; tanta tunc strages populorum facta, aut tanta armorum copia acquisita, quæ huic hyperboli aliquo modo respondeat. *B. Osiander* ex collatione Apoc. XX. de immissione ignis divini colligit, *tempestatibus magis, quàm armis Gogum deletum iri.*

Duodecimò adventus Gogi, per *terram, quæ est absq; muro* c. XXXIIX. II. citra sufficientem rationem *metaphoricè & comparatè* accipitur: *quæ nulla munimenta habeat, scilicet tanta, quæ tot copiis & Machinis resistere possint*: Ideoq; Sanctius de Judæâ post devastationem Nebucadnezaris arcibus & civitatibus munitis destitutâ, accipit: Sed civitatem Hierusalem munitam fuisse è Neh. IV. satis constat. Munita erant & alia oppida: I. Macc. V. v. 27. Quare Osiander ita *ἄρα ὅρα ἔς: Ascendam ad terram Israel* (Christianorum) *quæ est absq; muro: invadam eos in iis regionibus, quæ non habent multas urbes, & artes munitas*: (talis est Polonia) *veniam subito & præter expectationem, ad quiescentes, habitantesq; securè: opprimam eos, nihil tale metuentes.* (hi) omnes enim habitant sine muro, vectes & portæ non sunt eis tales, quæ tanti hostis impetum sustinere possint.

Decimò tertio locus cladis Gogitice Ammona perperam Hierosolymis constituitur. Cujus hic nullum vestigium reperitur. Ideo vana est nova illa translatio vers. 16. Grotiana: *Nomen autem civitatis Amonæ, & mundabunt terram: Ista multitudo (excisorum) nomen (dabit) civitati (Hierosolymorum) postquam mundata erit terra. Cum non amplius ossa aspiciantur testantia victoriam. Civitas tamen Hierosolymorum famam inde obtinebit, tanquam gentium victrix.* Quæ ceu merè precaria meritò rejicitur. *B. Gesnerus* Disput. pe Turc, 3. pag. 210. ita de loco illo habet: *Locus erit intra Christianum orbem in valle, quâ viatores ad mare, seu Oceanum Orientis*



## CAPUT XXXVIII &amp; XXXIX.

rientis iter faciunt, qui ab eventu tunc quoq; nomen sortietur & vocabitur Geb Hamon Gog, id est, vallis Gogucia colluvici. Plura & apertiora de istâ foedissimâ valle, & Turcicorum canum sepulchro, deq; urbe Hamona inquirere ociosi & curiosi est ingenij, cum hæc & ejusmodi antequàm eveniant, sciri non possint.

Decimò quartò *dies illuminata*, in quâ glorificatur Dominus cap. XXXIX. v. 13. temerè ad diem *עֲרֻבָאִים* transfertur. Nam dies supplicij de Gogo sumendi dicitur *dies glorificationis Domini*, quia tunc apparitura est illustris gloria justitiæ divinæ.

Decimò quintò *promissio de reductione & conversione captivitatis populi & totius Israelis*, quæ sub finem cap. XXXIX. subjungitur, & de *securitate Israelitarum*, non congruit temporibus Antiochi. Hæc enim post liberationem è captivitate sequuta sunt, unde Sanctius hyperbaton hîc fingit, quasi in parenthesi posita illa sint, quæ cap. XXXIIX. & XXXIX. de Gogo dicta, quæ verò vana est: mera enim fictio est. Grotius de oppressis ab Antiocho restituendis in urbis templiq; possessionem accipit. Sed hæc non respondent promissioni magnitudini: *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captivitatem Jacob & miserebor omnis domûs Israel, & assumam zelum pro nomine Sancto meo. Misereri omnis Domus Israel vult Dominus, & reducere eos, ut postea addit, de populis: & congregare de terris inimicorum suorum, & sanctificari in eis in oculis plurimarum gentium. Quia dicent, quod ego (inquit Dominus) sum Dominus Deus eorum, eò quòd transtulerim quidem eos in nationes & congregaverim tamen eos (rursum) super terram suam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi. Quid hæc ad tempora Antiochi, & constitutionem templi! Manifestum autem est, Spiritum Sanctum pro more in vaticinijs solemni beneficiorum præteritorum sub Veteris Testamenti Phrasibus nova exhibere, quæ sub Novi Testamenti tempora exhibenda sunt; quæ Ecclesiæ Israeliticæ accidere, ad Ecclesiam Christianam transferre, typum ad Antitypum, reductionem è captivitate Babylonicâ ad Spiritualem liberationem & conversionem referre. Talem sanè restitutionem prædixit hic Spiritus Sanctus, in quâ nec unus exul remaneat cap: XXXIX. 28. Qualem utiq; nullam in hoc seculo fuisse, neq; ullam futuram esse*

L

certum



certum est. Beatus Osiander respici vult *liberationem Christianorum à tyrannide Anti-Christianâ duriore, quàm Babylonica fuit.* Quum enim ab eâ liberati, nimium securè vivant, & carni liberius quàm oportet, habenas laxent, non possunt non graves poenæ sequi, quæ à Gog & Magog inferendæ sint. *Quia verò scient tandem & agnoscent, inquit Dominus, quod ego sim Dominus Deus eorum, in quo solo auxilium invenire queant: qui eos quidem in captivitatem tradiderim, sed tamen rursus eosdem liberaverim, itaq; in illis postremis angustijs, in incursione Gog ad me precibus suis fugient, & servabuntur.* Et posthac non **ABSCONDAM ULTRA FACIEM MEAM AB EIS**, hæc erit postrema persecutio, quæ à Gog illis continget: Imposterum illis parcam: **EO QUOD EFFUDERIM SPIRITUM MEUM SUPER OMNEM DOMUM ISRAEL, AIT DOMINUS DEUS.** Id est, *propterea quod illuminati Spiritu Sancto Christiani (re non nomine tantum) vitam suam ad præscriptum verbi mei component.* Cùm autem postrema persecutio sub Gog fuerit superata, pij quidem in verâ fide perseverabunt, etsi numero paucissimi: Cæteri verò in summam securitatem carnaliter ruent, & in eâ per adventum Christi subito obruentur, pij autem momento oculi immutati Christo in nubibus obviam rapientur, & semper erunt cum Domino, 1. Thess. IV. Ita Osiander: qui tamen eadem Gogi de corporali strage Turcarum, quam à Christianis passuri sunt, interpretatur, quum de eâ τὸ πῆνός valde emphaticum sit cap. XXXIIX. 21. cap. XXXIX. 4. 5. 9. seqq. Unde novum (*decimum quintum*) argumentum, quod non possit clades Antiochi intelligi: quia de *clade novissimâ hostium Ecclesie* agitur, ac protestatur DEUS, non respectu quorundam saltem, qui poenitentiam seriò egerint (uti Grotius vult) sed respectu *Ecclesie totius, & universi populi sui: NON ABSCONDAM ULTERIUS FACIEM MEAM AB EIS.*

Neq; de *pace externâ* hæc accipi possunt, quæ licet sub Simone affullerit Judæis 1. Macc. XIV. tamen vix quinquennium duravit, Antiocho per Cendebæum populante Judæam denuò, & post mortem Simonis Antiocho Sotere totam terram subigente. Hic autem



tem duæ aliæ corruptelæ  $\omega\varsigma$  ἐν παρόδῳ notandæ. Prior quod pœnitentiæ ob legem desertam v. 26 è loco Dan. XII. 2. deducit, ubi de eterno opprobrio sermo est, pœnitentiæ minimè conjunctam habente. Posterior, quod effundere Spiritum super omnem domum Israel, significet amore prosequi; Quam glossam hæcenus inauditam non probat Grotius, (loca enim I. Sam. XVIII. 1. Exod. XXXV. 20. Esa. LII. 20. nihil profus ad rem faciunt) Quod autem hæc phrasîs notet *Spiritualia dona Spiritum Sanctum largiter & copiosè communicare*, tum locus à Grotio adductus Es. XXXII. 16. tum alia parallela Joel. II. Zach XII. Esa. XLIV. 5. docent. Sed hæc obiter: ad institutum principale revertimur.

Istis ergò jam adductis argumentis, accedat etiam novissimè *repetitio Apocalyptica*: Siquidem non per nudam allusionem allegetur Apoc. XX. hæc prædictio, sed indicetur à Sp S. eandem nunc sub finem seculi complendam. Unde in *Seleucidis* eam impletam esse censerî non potest. Ut taceam, quòd non conveniant de eo auctores hujus opinionis. Alijs *Antiochum* pro Gogo habentibus, alij verò *Halyatten Patrem Cræsi*, qui Albanis & Cappadocibus præfuit Gogum constituentibus, quæ *Junij* in Comment: est sententia: *Mesech enim Cappadociam dicit, Thubal Albaniam*. Atq; hæc de illâ sententiâ, quam Grotius elegit: quod Antiochus intelligatur: Nostram, quod de Turcâ sermo sit, imprimis è nostris probavit B. Dn. D. *Gesnerus* disput: I. de Turcâ. Quæ habetur in duodecade disputationum. (1) *Enomine*, siquidem ex *Genealogiâ Sultanorum Turcicorum* constet, quod genus à *Japheto* deducant, ut ab *Ogucc* descendat *Giokelp*, qui etiam *GogElp* & *GogChan* vocatus, multiq; principes, qui appellatione *Gog* & *Og* seu *Ogoza* cognominati fuere, (ut hæc appellatione *Gogi Spiritus Sanctus* gentem Turcicam ostendere voluerit) atq; inde *Osmannidarum origo* sit. Hoc itaq; est secundum B. *Gesnerum*, quod Spiritus Sanctus per *Ezechielem* de familiâ *Gogaziâ* dicit, quod sit  $\text{שׂוֹרֵט עֶלְיָוִן}$  *elevatum & sublime caput*, seu *Princeps*, cum *Mesech* & *Thubal*, quandoquidem hæc familia in regno Mahumetano oppressis omnibus alijs familijs, suum caput extulit & principatum obtinuit. (2)

*Ex habitu & ornatu*: Quod dicantur probe ornati & instructi, omnes



## AD EZECHIELIS

*omnes rei equestris peritissimi, utantur clypeis, arcubus & acinace:*  
 siquidem nulla gens sub sole Christianis adversa adeò sit in omni  
 re militari instructa, ejusq; formæ & generis arma gestet, nisi col-  
 luvies Mahumetana (3) Quod *Gog & Magog Princeps* dicatur in  
*Mesech & Thubal*. Mesech autem Scytharum gens sit, quam anti-  
 qui Moschinæcos nuncuparunt, teste *Strabone* lib. XII. *Geograph.*  
 & *Xenophonte* lib. V. de educat: Cyri, nos *Moscovitas* appellamus.  
*Thubal* verò *Tartaros*, qui & ipsi Scythæ, designet, & *Magogas*  
 Scythas vocari *Josephus* testetur; *Turcas* autem *Scythas* haud po-  
 stremos esse, ex *Melâ* lib. I. cap. ult. *Plinio* lib. VI. c. 7. & *Ptolemæo*  
 constet: qui una cum Armeniis, Russis, (itidem Scythis) circa  
 annum Christi 1202. incredibili exercitu in Asiam infusi Saraceno-  
 rum potentiam subegerunt, stirpem Mahumeticam suppresserunt,  
*Ogugia* seu *Ogugie* familiæ, quæ *Ottomannorum* est, originem  
 dederunt, teste *Levenclavio* lib. II. *Histor. Musulm. Lonicero* Tom. I.  
*Annal. Turc.* alijsq; (4) *Gog & Magog* in suo exercitu ducit *Persas*,  
*Æthiopes*, & *Lybies*, seu *Africanos*, jam verò non modo ex istis  
 gentibus *Turcica* tyrannis confluit: Sed nullus hodie est Rex &  
 Princeps Christiano nomini infensor, ejus ditioni populi isti  
 subjecti sint, vel qui ex illis exercitum conscribere possit, præter  
 Sultanum Mahumeticum, qui *Modini* *Æthiopiæ* urbe præfectum de-  
 cem mille equitibus perpetuo ad prælium paratis habet, & quæ per-  
 petuis incursionibus *Persas* depopuletur, habet quoq; in exercitu suo  
*Persarum* plurimos. 5. Quod Mahumetani *Arabia* principatum (cui  
*Dedan* vicina) obtinuerint, Tyrannidis suæ terminos per *Asiam* lon-  
 gissimè protulerint, & populos Septentrionales *Cimbros*, *Scythas*,  
*Moschos*, *Tartaros*, qui olim *Turcarum*, seu *Jurcorum* vel *Zurckorû*,  
 id est *Nomadum* appellatione venerunt, & à filiis *Japheti* *Gomer*,  
*Magog*, *Thubal*, *Mosoch* & nepote *Thogarma* sati sunt, imprimis  
*Idumæos* (quorum urbs erat *Dedan*) sibi adjunxerunt, *Galatino* teste  
 lib. IV. c. 28. & *Methodio*.

(6) Quod *Dani. VII.* è medio decem cornuum oriens corniculum  
 suâ velocitate & robore primaria tria cornua dejiciens, o-  
 culis humanis & ore blalphemo instructum, *Turcieam* *Tyran-*  
*nidem*



CAPUT XXXIIX. & XXXIIX.

*nidem* designat, cum quo Danielis loco præsens vaticinium ad un-  
guem convenit, sive originem, sive tempus, sive potentiam, fe-  
rociam, blasphemiam, consideres: Quandoquidem corniculum  
illud sub exitum quartæ Monarchiæ proximè ante novissimum ju-  
dicium oriri debuerit: & Ezechiel Gogum ceu postremum Eccle-  
siæ hostem introduxerit.

(7) Quod Johannes in interpretatione hujus vaticinij cap.  
XX. Apoc: notas evidentissimas tradat, è quibus Turca agnosci  
possit: utpote, quod hic hostis venturus sit post detectionem scor-  
tationis meretricis Babyloniciæ, paulò ante consumationem Secu-  
li, quod diabolus gentes in perniciem Ecclesiæ, ex omnibus  
quatuor partibus coactus, & Ecclesiam, vel castra Dei invasurus  
sit: Quæ omnia Turcico tyranno ita competere, ut nulli alteri,  
censet B. Gesnerus.

Quod verò ad *gentem*, quam Gogucia cohors invasura sit,  
attinet, nulli populo magis, quàm Germanis cladem hanc per-  
timescendam esse, quatuor argumentis, quæ evidentissima judi-  
cat, ostendit. Disput. III. de Turcâ c. II. (1.) Quod dicatur *po-  
stremis temporibus* invadendus populus, qui *de gladio vindicatus est*,  
quod sive de Muselmannorum gladiis, & Tartarorum, è quibus  
illi originem ducunt, cædibus intelligatur, sive de Romani Anti-  
Christi sævitiâ, intelligatur, in Germanos maximè congruit, te-  
ste strage ad Lignitium anno 1241 à Tartaris, ex clade in Transylva-  
niâ, Hungariâ, Austriâ à Turcis sæpius edita, nec non Anti-Chri-  
sti Romani truculentia, è quâ si nostra tempora vivendo attigisset  
B. Gesnerus, quomodo populus Dei ereptus, & populus ille de  
gladio vindicatus sit velarius pronunciaisset. (2.) Quod gens illa  
*congregata sit ex multis populis*. Siquidem in Germaniâ postremo  
hoc seculo veritas Evangelij è tenebris papalibus primum  
effulserit, & ad orthodoxam nostram confessionem populi plurimi  
collecti, & fide ac professione associati sint. (3.) Quod *Germania*  
verè sit *illustris ille mons Sionis*, ad quem populi confluerunt, & po-  
stremi hujus seculi Ecclesiæ Metropolitim agnoscant Germaniam,  
unde in reliquas nationes coloniæ deductæ, & quasi filix propaga-  
tæ sunt. Hæc ergo urbs Deo dilecta est, quam à Gogo obsidione





*cingendam* S. Johannes Apo. XX. prædixit. (4) Quod Daniel tradiderit circa corniculum Mahumeticum in quartæ Monarchiæ, cujus principatus ad Germanos venit, perniciem, omnia sua consilia conversurum, & experientia testetur, nihil aliud queri ab eo, quam Germanici imperij excidium. Quò refert etiam B. Gesnerus, antiquum illud, uti loquitur, *multorum præstantium virorum vaticinium*, qui semper veriti sunt, Turcam, ut è plagis Septentrionalibus è Tartariâ & Moscoviâ robur exercitus sui adeptus, perq; Poloniam & Sarmatiam in Thraciam, Macedoniam, Græciam, Ungariam infusus est, ita ex iisdem locis nostras quoq; terras, justo Dei iudicio invasurum esse. Quæ omnia prolixius exequutus Gesnerus noster *μακαρίτης*.

Quod autem Bellarminus objicit, Gogum venturum in die novissimo, nec diu duraturum, regnum autem Saracenorum jam per annos mille ferè durasse, ad id respondet B. Cluverus, totum Novi Testamenti tempus novissimum appellari Prophetis, neq; hic propriè regnum Saracenorum, h. e. Seba, Dedan & Agar: sed Scythicum intelligi, cujus Principes sint Gog & Magog, & pars tandem sunt etiam Arabes Saraceni. Quia Saraceni non condiderunt unum aliquod Imperium universale, sed sparsim modò has, modò illas provincias infestarunt, & sepe gravissimâ clade à Christianis multati, tributa etiam Imperatoribus solvere coacti sunt: ac mansit summa orbis potentia penes Christianos, donec solveretur princeps mundi è carcere suo Apoc. XX. & Otthomannicum seu Turcicum imperium erumperet, atq; sic reliquas gentes infideles denuo adversus Ecclesiam in bellum congregaret: unde Augustinus monet l. XX. de Civitat: Dei cap. XI. *gentes hasce non de aliquibus tantum Barbaris interpretandas, cum toto terrarum orbe significati sint esse, sed novissimam hic & universalem sanctæ civitatis persecutionem describi, à totâ & universa diaboli civitate.* Neq; enim universam Ecclesiam circumdare possunt gentes in quibusdam terræ angulis positæ, sed quæ in universis orbis angulis sunt, gentes totam Dei civitatem in eisdem quatuor partibus positam. Ideo, notante Cluvero, dicit Ezechiel, *in omnibus Israelis montibus gladium adversus Gog convocandum esse.* Omnes enim montes Israelis sunt, omnia illa loca  
ubi



ubi Israelitæ, hoc est, Christiani sua præsidia posuerunt, suosq; conventus agunt. Atq; hæc de illis vaticinijs, satis obscuris, sed varietate interpretationum magis obscuratis, & cum primis aduersus Grotianam τὴν ἰδίαν ἐπίλυσιν.

## CAPUT XL.

Vers. 1.

IN VIGESIMO QUINTO ANNO TRANSMIGRATIONIS  
NOSTRÆ, IN EXORDIO ANNI, DECIMA MENSIS  
QUARTODECIMO ANNO POSTQVAM PERCUSSA  
EST CIVITAS.

*Principio anni, id est mensis TISRI, qui initium anni antiquissimum. Ita hic vult Hieronymus.*

De initio anni alias diximus. Jam de colligatione XXV. anni transmigationis, & XXV. percussæ civitate dispiciendum, è quâ colligunt Chronologi non vulgares, maximè qui Scaligeri partes sequuntur, (à quibus alienus non est Grotius, uti alias prodidit;) collato c. XXXIII. 21. ubi annus undecimus captivitatis connectitur cum anno exterminij urbis, *Captivitatem cepisse cum deportatione Jechoniae*, atq; inde etiam initium capere annos LXX. captivitatis Babylonicæ, in Scripturâ definitos. Et res videtur nimis manifesta. Nam si annus excidij & πᾶνολεθείας urbis fuit undecimus captivitatis, idemq; undecimus fuit regiminis Zedekia, & abductionis Jechoniae, cui ille surrogatus est, & annus uterq; migrationis XXV. fuit XIV. percussæ urbis, quid certius, quàm quod captivitatis initium in Jechoniae spontaneâ deportatione figendum sit. Sed demonstravimus rationibus, uti arbitramur, invidis ad cap. XXIX. Jer. initium LXX. annorum captivitatis Babylonicæ capiendum esse à Quarto Jojakimi anno, non verò à Jechoniae deportatione. Quod è Jeremiae locis luculentissimè constitit. Quid ergo? num commitemus cum Jeremiâ Ezechielem, qui in utroq; hoc loco, c. XXXIII. & XL. itidem perquam luculentus est? In anno, inquit, c. XXXIII. 21. duodecimo לְגַלְגַּלִּי transmigrationis nostræ. Et hic *Vigesimum quintum annum transmigrationis apertè dicit decimum quartum fuisse percussæ urbis.* Undecimo ergò transmigrationis anno urbs percussa fuit, Vidit



Vidit hæc etiam, sine dubio, B. Behmius, Scaligerianæ sectæ propugnator non postremus, quem tamen suprâ, cum locum Jeremia tractavimus, istius sententiam, quam pridie sequutus erat, postridie deseruisse, observavimus. Quapropter agnovit utiq; posteriori ætate, non esse satis validum argumentum, quod ex his Ezech: locis pro illâ sententiâ petitur, etiamsi olim pro validissimo id habuerit, cum nempe Manuductionem Chronologicam e-deret, in quâ lib. II. tit. II. c. II. p. 108. ita habetur: *Ezechiel totus est à nostris partibus, diversis in locis c. I. 2. XXIV. 1. Nonum captivitatis annum rejicit in id tempus, quo Nebucadnezar Jerosolymam obsidere cepit. Id autem factum est anno 9. Regis Zedekie 2. Reg. XXV. 1. Jer. XXXIX. 1. & LII. 4. Ita 12. captivitatis annum rejicit in id tempus, quo præterito anno civitas Jerosolyma percussa erat, id est, desolata cap. XXXIII. v. 21. Omnium autem clarissimè idem Propheta 25. annum captivitatis rejicit in 14. πικρολεθρίας templi cap. XL. 1. & alibi sepissimè à Jechonia migratione sollicitè annos numerat cap. VIII. 11 c. XX. 1. c. XXVI. 1. c. XXIX. vers. c. XXXI. 1. c. XXXII. 1.*

Hæc ibi, tanquam ἀναγιγνωσκόμενος certa Anno 1616. tradidit, sed, accuratiori inquisitione institutâ, posterioribus annis dubius reddi cepit, ideoq; disputatione, quam de hoc themate Regiomonti Anno 1633. 30. Sept. habuit, ad eò non inhæsit illi Epochæ initio à deportatione Jechoniæ, ut ab ipso Spiritu S. Jer. XXV. 12. initium quarto anno Jojakimi assignari, asseruerit, qui illi cloci cum primo anno Nebucadnezaris non à morte parentis, sed à primo sui in Syriam adventus, vivente adhuc Patre Nabopolassare facti, (de quo Berofus apud Josephum l. X. Ant. c. XI. & 1. in App. ut & Eusebium lib. IX. præpar: Evang. c. IV.) concatenatur. Quo Nebucadnezar, ob Satrapæ Ægypti & Cælosyriæ & Phænicie rebellionem adversus Regnum Babylonie, expeditione factâ, & rebellibus devictis, ac regione Syrio-Ægyptiacâ subactâ, Hierosolymam progressus, Jehoakimum Judæ Regem, Pharaonis Necho, (quem Nebucadnezar divicerat, à ante tributarium 2. Reg. XXIII. 33. Chron. XXXV. 3. Regi Babylonico parenti Vasallum, & tributarium fecit, adductis simul in Babyloniam; Daniele Prophetâ, cum socijs, & alijs,



## CAPUT XL.

alijs, bonâ quoq; parte instrumentorum Domus Domini 2. Reg. XXIV. 1. c. XLVI. 2. Dan. I. 1. 2. Erat is tertius annus Jojakimi completus Dan. I. 1. Quartus verò currens Jer. XXXV. XLVI. 2. De quo Eusebius in Canone Chronico ad annum IV. Olymp. LIV. Colligitur omne tempus captivitatis Judaeorum anni LXX. Qui verò secundum quosdam à tertio anno Eliakim (qui est Jojakim) usq; ad XXIX. Cyri Regis. Unde apparet, eam sententiam jam ante Eusebium invaluisse.

Proponere placet hanc sententiam verbis, & argumentis B. D. Behmij è disputatione laudatâ adductis, quæ hîc fortè in nullius manibus est. *A primo*, inquit thes. XXVII. *Nebucadnezaris secundum Scripturam, ad ultimum Nabonidi Medi, quem Cyrus vicit (Nobis est Darius Medus apud Daniele cap. IX. 1.) præcisè LXX. anni elapsi sunt. Id probandum non ex levibus conjecturis, sed ex historicâ veritate, & Mathematico Ptolomæi Canone. Verus Berofus apud Josephum priore in Appionem, & Eusebium lib. IX. præparat: Evang. c. 4. à primo Nebucadnezaris ad ultimum Nabonidi Medi numerat annos 66. Idem facit Mathematicus Ptolomæi Canon. En deductionem: Nebucadnezari tribuuntur anni 43. utrobq; à morte scilicet Parentis Nabo pallassaris: Avarodamo (Evilmerodacho) 2. Niricassolassari, (Belthasari) 4. Nabonnadio Medo (Dario Medo) 17. Summa 66. Idem aureum fragmentum ex vero Beroso apud Josephum citatur lib. 10. Αγαρολογ c. XII. Verum ibi numeri corrupti sunt. Evilmerodacho tribuuntur 18. pro 2. Neriglissorori 40. pro 4. Restant 4. anni ad LXX annos captivitatis, complendi à primo Nebucadnezaris. Hi ex historicâ collatione hoc modò complentur. Scriptura aliter numerat annos Regis Nebucadnezaris, aliter Berofus cum Josepho Hi à morte parentis: illa à primo Nebucadnezaris in Syriam & Palestinam adventu, factò vivente adhuc parente, ut supra vidimus ex Beroso. Plures ergo anni regiminis tribuendi sunt huic famosissimo Regi secundum Scripturam. Quot vero anni superaddendi? Id quidem nullibi expressum in aliquâ historiâ continetur. Utinam plenam Berosi, Megasthenis, Diodori Siculi, & aliorum Historicorum Historiam Babylonicorum Regum à Nebucadnezare ad Cyrum haberemus! Nil præter desiderium nobis relictum est. Ex sedulâ tamen historiarum scrutatione, & mu-*



## AD EZECHIELIS

tuâ collatione id eruimus: Nabopellassarem filium Nebucadnezarem  
 etate & robore virentem & valentem in Syriam & Palestinam primâ  
 vice misisse anno 17. sui regiminis, & consequenter cum parente annos  
 quatuor solidos regnasse. Hanc supputationem tripliciter firmamus. 1.  
 ex Phœnicum annalibus apud Josephum priore in Appion: qui à primo  
 Nebucadnezaris ad primum Cyri Monarchiæ Persicæ numerant annos  
 49. Vide supra thesi 14. additis 30. annis Regiminis Cyri sunt 79. anni à  
 primo Nebucadnezaris secundum Scripturam & annales Phœniciorum  
 ad ultimum Cyri. Mathematicus verò Ptolemæi canon à primo Nebu-  
 cadnezaris ad ultimum Cyri 75. tantum annos habet: 66. à primo Nebu-  
 cadnezaris ad ultimum Nabonnidi Medi. 9. Cyri à devictâ Babylone.  
 Summa 75. anni. Differentia annorum quatuor solidorum. Hoc i-  
 psum alio modo probamus. Ultimus Cyri in Mathematico Ptolemæi  
 Canone est. 218. Nabonazaræus, 7. Cambysis, 225. Nabonazaræus, cœ-  
 lesti caractere notatus. Ergo primus Cyri Regni Persici est 188. Nabon-  
 azaræus, per 30. namq; annos regnavit. Diximus autem in præce-  
 dente supputatione annales Phœnicum à primo Cyri ad primum Nebu-  
 cadnezaris numerare annos 49. qui à 188. Nabonazaræo subtracti reman-  
 ent 139. anni Nabonazaræi ad primum Nebucadnezaris secundum  
 Scripturam. Atqui Ptolomeus in Canone ad primum Nebucadneza-  
 ris annos 143. numerat, αὐτοψία teste. En iterum intervallum qua-  
 tuor annorum! (3) Idem patet ex Eusebianâ enumeratione, quæ & ipsa  
 à primo Nebucadnezaris secundum Scripturam ad ultimum Cyri 79. an-  
 nos numerat: 19. annos Nebucadnezaris ad Salomonici templi conflag-  
 rationem: Ab hac ad initium Persici Regni Cyri 30. anni cum 30. Per-  
 sici Regiminis. Summa 79. annis. Atqui Mathematicus Ptolomæi  
 Canon, uti modo dictum, annos tantum 75. habet. Iterum differentia  
 quatuor solidorum annorum. Excellentissima hæc est manductio,  
 quæ arenosas Chronologorum conjecturas dissipat, multorumq; licenti-  
 am frenat. Id ergo per Dei gratiam habemus, Nebucadnezarem à  
 primo sui in Syriam & Palestinam adventu per 47. annos regnasse,  
 quatuor cum parente, 43. solum. Hoc obtento defectus 4. annorum  
 in Mathematico Ptolomæi Canone ita suppletus est. A primo ergo Ne-  
 bucadnezaris secundum Scripturam & Phœnicum annales ad ultimum  
 Babyloniorum Regem, quem Cyrus vicit, præcise LXX. anni sunt, con-  
 venien-



venientes cum LXX. annis captivitatis. Ptolemæus verò in Canone  
 Cyro 9. annos tribuit Babylonici Dominatûs. Vicisset ergò ultimum  
 Babyloniorum Regem anno XXI. Persici sui Regni, & statim ab occupatâ  
 Babylone, Judeis id à Cyro per informationis modum petentibus ca-  
 ptivitatem laxasset. Hæc insuper manuductio nobis facem præbet Chro-  
 nologicæ alligationis annorum Nabonassaræorum ad annos Scripturæ.  
 Si primus Nebucadnezaris à primo sui in Palestinam adventu est quar-  
 tus Jofakimi, Jeremiâ teste c. 25. 1. Ergo primus Nebucadnezaris post pa-  
 rentis mortem exurgit ab 8. Jofakimi: & 19. ejusdem secundum Scrip-  
 turam esset 15. secundum Ptolemæi canonem. Atqui Mathematicus  
 Ptolemæi canon primum Nebucadnezaris connectit cum 144. Nabonas-  
 sareo. Ergo conveniet cum 158. Nabonassareo, qui annus cum anno  
 exterminij Solomonicæ templi Chronologicè connectendus non 507051-  
 uōs, sed 109105. Quæ connexio Chronologicum hominis animum  
 mirificè recreat & confirmat. Secundum hunc ergo terminum LXX.  
 annorum Babylonicæ servitutis omnis difficultas, quæ circa annos hosce  
 moveri solet, sublata est. Ita laxatio captivitatis facta est vivente  
 Cyro novem solidis annis ante suam mortem. Et sanè à primo Nebu-  
 cadnezaris in Palestinam adventu Babylonicam Judæorum servitu-  
 tem verum initium sumpsisse, indeq; ad Cyri usq; tempora continuasse,  
 Scriptura ubi vis ferè locorum loquitur. Ab eo namq; tempore, quo  
 Nebucadnezar Pharaonem Necho magno prælio ad Euphratem vicit  
 anno 4. Jofakimi Jer. XLVI. 2. & bonam Ægypti partem occupavit,  
 Judæa (quam Pharao Necho ante tributariam fecerat 2. Reg. XXIII.  
 XXXIII. & seq. 2. Chron. XXXVI. 3.) sub tributum Babylonici regni ve-  
 nit. Nam Nebucadnezar ex Ægypto redux Hierosolymam obsedit, &  
 Jehojakimum tributarium fecit tribus annis 2. Reg. XXIV. 1. simul & Da-  
 nielem cum socijs & alijs plurimis Babylonem misit. En Babylonicæ  
 servitutis initium! Successu temporis cum Jofakim Rex Judæa contra  
 Nebucadnezarem rebellaret & deficeret, Nebucadnezar anno septi-  
 mo sui regni ferè desinente, Hierosolymam iterum venit, & rebellem Ju-  
 dæa Regem comprehensum in vincula conjicit; animo Babylonem ab-  
 ducendi, verum in vinculis mortuus abjicitur insepultus Jer. XXII 19.  
 c. XXXVI. 30. 2. Chron. XXXVI. 6. Hactenus B. Behmius.



AD EZECHIELIS

Quamquam verò hæc satis firma sint, atq; solida, hæsit tamen Chronologo præstantissimo opinio præconcepta, quam à Scaligero & Calvisio hauserat, ut fluctuare dubius, isto quidem tempore, maluerit, quàm illam omnino deserere, ac rem omnem in medio reliquerit. Fatetur tamen hallucinationem suam, quòd minus æquus huic sententiæ olim fuerit. In Chronologicâ nostrâ manu-  
*ductione*, inquit Thesi XXXIII. nonnihil iniquiores fuimus in hanc sententiam de termino A QUO LXX. annorum Babylonicæ captivitatis à primo Nebucadnezaris in Syriam adventu, à quarto Jofakimi Regis Juda. Verùm successu temporis, re & rei circumstantiis altius consideratis, æquiores facti, statuimus, ab hoc termino A QUO ad ultimum Nabonnidi Medi Babylonicæ Regis, quem Cyrus vicit, præcise LXX. annos elapsos esse. Quæ suavissima convenientia me eò adducit, ut facile meum calculum ijs adjiciam, qui hunc terminum A QUO faciunt LXX. annorum servitutis.

Addit ergò calculum huic sententiæ, sed, ut dixi, priorem abdicare non vult, quum tamen utraq; consistere simul nequeat. Restat QUARTA OPINIO (ita pergit thes. XXXIV.) quæ LXX. hos-  
*ce* annos cum Ezechiele Prophetâ septennio post inchoat à spontaneâ Jechonia in Babylonem abductione, maximè solenni & famo-  
*sâ*, ut supra indicatum. Hanc sententiam in Chronologicâ Ma-  
*nuductione* defendi, secutus Clementem Alexandrinum, Scaligerum, Tremellium, Calvisium, & alios præstantissimos Chronologos, & eti-  
*amnum* hodie eam in totam seponere non possum. Solicita namq; E-  
*zechielis* numeratio mihi sacrosancta est, & consolatoria Jeremie Pro-  
*pheta* Epistola, quam hisce deportatis in Babyloniam misit, ipsisq; de-  
*cursu* LXX. annorum reditum divinitus promittit c. XXIX. Deniq;  
*thes. XXXIX. ἐπαυφότερισμὸν* in hæc causâ testatur: Abjectis er-  
*gò* duabus prioribus opinionibus, quæ LXX. annos Babylonicæ servitu-  
*tis* inchoant vel à 13. Jofie, vel à templi conflagratione, terminant vel  
*in* primo Cyri Persici regni, vel in secundo Darij Hystaspis, liberam  
*omnibus* & singulis Historico Chronologici studij amatoribus optionem  
*damus*, quam ex duabus posterioribus eligere velint; num eam, quæ  
*annos* servitutis incipit à 4. Jofakimi à 1. Nebucadnezaris in Syriam  
*adventu*, sinit in 21. Cyri Persici regni: num alteram, quæ terminum  
A. QUO



AD EZECHIELIS

*A. QUO annorum captivitatis facit spontaneam Jechonia in Babylonem deportationem, terminum AD QUEM 28. Cyri Persici regni. Utraque sanè opinio optimè subsistere potest, sine Chronologici systematis confusione.*

Quid causæ fuerit, cur non *μετὰ πᾶσησ* accesserit sententiæ, quæ auspicatur LXX. annos à 4to Jojakimi, satis opinor, indicavit; quod nempe nondum viderit, quomodo sollicita illa Ezechielis numeratio, quæ meritò omnibus sacrosancta est, & consolatoria Jeremiæ Epistola c. XL. cum illo initio conveniat, quum Jechoniæ potiùs transportationem initium captivitatis utraq; constituere videatur. At exuisset tandem ipsum hanc dubitationem novissima de hâc materiâ Disputatio, novennio post Regiomonti habita testatur, quâ citra hæsitationem definivit: *eos Jeremiâ Prophetâ c. XXV. i. discedero, qui non incipiunt annos LXX. Babylonicæ pressuræ à quarto Jojakimi. Quare discedunt, inquit, à Prophetâ Jeremiâ, qui annos LXX, Babylonicæ pressuræ incipit à quarto Jojakimi & primo Nebucadnezaris adventu in Judæam c. XXV? Annon ab eo statim tempore incepit Judæorum in Babyloniâ abductio? Annon ab eo tempore tres ultimi Judæorum Reges Jojakim, Jechonia, Zedekia facti sunt vasalli Babylonicæ Regis Nebucadnezaris? Annon ab eo tempore Judæa Babylonicæ Regi facta est tributaria? Argumenta & præcipuè alia, quæ in hanc sententiam ex Chronologis & Historicis documentis proposuit, ad Jer. XXIX. adduximus.*

Quomodo a. expediverit illa, quæ dubium ipsum antea tenuerant, non constat. Nihil enim in hâc novissimâ disputatione de illis habet. Quid verò de loco Jer. XXIX. 20. habendum sed, illic jam diximus. Nulla ibi LXX. annorum captivitatis instituitur cum tempore spontaneæ deportationis colligatio. Exarata solum dicitur Epistola ad abductos, & tempus, quo exarata fuit, exprimitur; postquam Jechonia cum Regina (matre) & aulicis Principibus aliisque abducti fuere. Quod si maximè quis urgeat: *istic non exarata Epistola consolatoriæ, sed factæ deportationis tempus exprimi, non tamen initium in illo tempore figitur LXX. annorum Babylonicæ servitutis. Solum v. 10. completis LXX. annis liberatio promittitur. Ini-*



AD EZECHIELIS

tium autem illorum LXX. annorum ibi non assignatur, utpote quod c. XXV. i. ii. assignatum jam erat.

Sed quid fiet Ezechieli, qui tam sollicitè, in tot locis numerat annos captivitatis, ut nullus Prophetarum alius, utpote *cap. I. i. c. IIX. i. c. XX. i. c. XXIV. ii. 12. c. XXVI. i. c. XXIX. i. c. XXXI. i. c. XXXII. i. c. XXXIII. 21. c. XL. i.* Non est, quod illa nos à sententiâ solidissimè fundatâ revocent. Id enim solum docent, *annos ab Ezechiele numerari à Jechonia deportatione, cum quâ cepere anni Regiminis Zedekia.* Quos ita sollicitè numeravit, ut Chronologiæ ratio constaret. Nusquam autem Ezechiel vel leviter saltim indicavit, sese numerare *annos LXX. servitutis ac pressuræ Babylonicæ.* De eo nec vola, nec vestigium in toto Ezechielis libro, ut mirari oporteat, adeò ex Ezechielis istâ enumeratione viros præcipui commatis tam confidenter supputationem annorum servitutis Babylonicæ, atq; initium Epochæ hujus colligere. Quapropter Jeremiæ ac Danielis designationi acquiescendum, quod ad Epochæ initium, Nam Daniel, temporum observator accuratissimus, Jeremiam in hâc LXX. annorum Epochâ respiciendum esse, suo exemplo docuit: de quo Dan. IX. 2. *Anno uno regni ejus Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem LXX. anni.* Nec ab Ezechiele, sed à Jeremiâ definiti sunt illi LXX. anni. Et in Jeremiâ ergo quærendum Epochæ initium, non in Ezechiele.

Porro distinguere omninò oportet inter *deportationem sub Jojakimo factam, & transmigrationem Jechonia.* Illâ accidit tertio anno Joakim Regis Juda, ut apertissimè Daniel habet c. I. i. *Anno tertio Regni Joakim Regis Juda venit Nebuchadonosar Rex Babylonis in Jerusalem & obsedit eam, & tradidit Dominus in manus ejus Jojakim Regem Juda, & partem vasorum Domus Dei &c.* Quæ historia descripta est 2. Reg. XXIV. Unde errat Cornelius à Lapide, cum è Jerem. LII. 28. concludere vult, *nullam captivitatem fuisse anno quarto Jojakim.* Siquidem illo anno tributarius Jojakim factus, & Daniel ipse abductus fuerit cum sociis. Hæc verò Jechonia deportatio post mortem Jojakimi, cui surrogatus fuit, eve-



## CAPUT XL.

it, evenit. *Septennio scilicet post Danielis abductionem.* Et quum illa pressura, & abductio sub Jojakimo prima fuerit, ab eâ utiq; inchoandi anni LXX. pressuræ, & servitutis Babylonicæ. *Adhæc* si post septennium demum inchoarentur, illis, qui sub Jojakimo abducti, diuturnior captivitas mansisset, ac per integrum septennium longius ibi herendum fuisset. Neq; constare potuisset ipsis, unde nam Epochæ LXX. annorum initium sumendum sit, si prima ista abductio, & Jojakimi subjectio in computum venire non debuit. *Accedit* quod Jeremias, qui LXX. annos illos definivit, nusquam eosdem ordiatur à *Jechonia transmigracione*: quodq; distinctè loquatur Scriptura Sacra de *hâc transmigracione*, quam voce גלותא designat *Ezechiel cap. I. 2. c. XXXIII. 2. c. XL. 1.* & de *pressurâ*, cui LXX. annos definivit: *Sub Rege Nebucadnezare, & successoribus servient Regi Babylonia.* Et consolatio illa c. XXIX. 10. *Ubi implebuntur Babylonia LXX. anni, visitabo vos, & prestabo erga vos verbum meum illud optimum de reducendo vos in locum hunc, omnibus abductis à Rege Babylonia,* non minus illis, qui primâ abductione eò translati erant, quàm reliquis spem faciebat reductionis; aliàs isti deterioris fuissent conditionis. Ideoq; meritò inde à primâ abductione initium numerandorum annorum captivitatis est capiendum. *Reductio & abductio* respiciunt sese mutuo. Abductis promissa erat reductio. Abducti autem erant, qui primâ Nebucadnezaris incursione Babylonem traducti sunt. Ut abductio terminus ad quem est captivitatis, ita reductio, cum primùm facta illa est, meritò terminus à quo ejusdem constituitur. Hallucinantur ergo, qui àb Ezechiele annos LXX. captivitatis Babylonicæ supputari, & Epochæ istius celeberrimæ initium, annosq; in eâ succedentes designari, nudâ conjecturâ ducti, asserunt. Etsi enim annos à *Jechoniae transportatione* supputet, annos tamen *captivitatis* inde fluere cepisse, atq; captivitatis illam solemnem Epocham LXX. annorum idem initium habere cum Epochâ transmigracionis *Jechoniae* merè precariò affirmatur, & ἀριστος est τὸ ἐν ἀρχῇ. *Distincti* ergo maneant anni Epochæ *servitutis & pressuræ à Jeremiâ definiti, & à Daniele,* qui tum traductus est, accuratè observati, *ab annis spontaneæ transmigracionis Jechoniae, ab Ezechiele numeratis,*  
quem



## AD EZECHIELIS

quem simul isto tempore Babylonem abductum esse, Judæi asserunt, de quo etiam Josephus lib. X. Antiq. c. 8.

Vers. 2. DIMISIT ME SUPER MONTEM EXCELSUM.

*Ad montem nempe Moria.*

SUPER QVEM ERAT QVASI ÆDIFICIUM CIVITATIS

*Cui monti inædificata erat velut urbs altera. Templum significat, quod urbis habuerat speciem. Tacitus: Templum in modum arcis propriiq; muri. Vide Josephum Belli Judaici v. 14. Varia semper de hoc templo, quod vidit Ezechiel, fuere sententia, tum Judæorum, tum Christianorum, ut notat Hieronymus, habitusq; est totus hic locus Prophetæ perdifficilis. Ego vero is accedo, qui putant Ezechielis oculis oblatum conspectum templi, quale fuerat, cum id destruxit Nebuchodonosor, idquè duabus de causis. Primum, ut intelligerent Judæi, quantum gentis suæ decus criminibus suis amisissent: deinde, ut olim reversi specimen haberent, quod imitarentur, quantum possent. Quantum possent, inquam: nam perfectè ut imitarentur, neque summa festinatio permisit, nequè opes multò opibus Solomonis impares. &c.*

Templum *Solomonæum*, quale id fuit cum destrueretur à Nebucadnezare, huic *δατυπώσεαι* non congruere ab alijs satis ostensum est. Nam (1) non congruit *locus*: templum Ezechielis extrâ urbem fuit, & remotum ab urbe per 15. millia calamorum (hoc est, 27000. passuum, vel, si calami sint Sacri, 30000. adeoq; 27. vel 30. miliaria Italica, ut computum inivit Cornel. à Lap: ad c. XLIIIX. II. Quod est iter unius diei. (2) Non congruit *capacitas*. Nam alias Jerusalem major foret, juxta Rabinicam dimensionem, toto orbe. Nam hæc Ezechielis urbs octodecim millium Leucarum est, uti Rabini numerant cap. XLIIIX. 35. confer. cap. XLVII. 22. Id certum est, sive civitatis, sive templi circuitum metiamur, longè majores fore, quam prisca illi urbi aut templo convenient. Urbis circuitus 36. miliarium Germanicorum designatur juxta B. Lutheri observationem. Neq; *terre divisio* hic tradita convenit  
pristi-



CAPUT XL.

pristinæ terræ Canaan divisioni: (1.) Primò enim terra illa Canaan, ut habet *B. Hafenrefferus* in Templo Ezechielis pag. 109. filijs Israel promissa, sic inter tribus fuit tributa, ut quæ tribus amplior & copiosior esset, ampliorem etiam haberet hæreditatem: sed in visione nostrâ omnibus æqualis est possessio cap. XLVII. vers. 14. *Possidebitis terram, unus æquè ac alter*, quin etiam peregrinis, qui in hæc terrâ peregrinantur, sua singulis est attribuenda portio. Ibidem vers. 22. Deinde (2) *situs & formæ ratione*, etiam differt visionis divisio, à pristinâ illâ: diversis namq; spatijs, & diversimodè terminatis, possessiones suas habuerunt singulæ tribus: hæc longior quam latior; illa rotunda, hæc angulata magis; illa ad ortum, hæc ad occasum sita fuit. Sed nostræ terræ divisio æquabilis & uniformis est: omnes enim portiones, ab ortu in occasum, per totam amplitudinem terræ æquabili tractu porriguntur cap. XLIIIX. Verùm neq; *ordo & dispositio rerum* pristinæ respondet. Nam Hierosolymæ veteres sitæ fuerunt in Tribu Benjamin. Jos. XIIX. vers. 28. In nostrâ visione sita est urbs & templum in portione sive oblatione sanctâ. In veteri divisione tribus Juda, ut populosissima & viribus potentissima, ad hostium incursiones feliciùs excipiendum, extremum locum versus meridiem occupavit; in nostrâ visione, & urbe & templo, & totâ oblatione sanctâ, est Septentrionalior. Et hujusmodi differentia plures etiam monstrari possent, quibus visio nostra ab antiquo illo rerum statu discriminetur. (3) Non congruit *structura*. Salomonis templum altum fuit cubitûs 120. Vid. 2. Par. III. 4. At Zorobabelis, quod juxta hanc *διὰ τὸ πῶσιον* adornandum secundùm *Grotium*, cubitorum solum 60. erat. (4) Non congruunt *urbis incolæ*, qui hic non sunt *duæ* tantum tribus, sed *omnes tribus Israelis* tam Samaritæ quàm Judæi cap. XLVII. XLIIIX. (5) Non congruit *ratio cultus*. Nam licet sacrificia & cultus, ut habet *B. Hafenrefferus* pag. 109. hujus templi, magnam partem phrasibus & ceremonijs antiquæ religionis describantur: multis tamen vicibus eorundem numerus ac modus mutantur, innovantur, diminuuntur, vel adaugentur. Ex quibus omnibus manifestum est, visionem nostram, non de antiquis illis Hierosolymis, Templo, aut terrâ Canaan, sed de novo quo-

N

dam



## AD EZECHIELIS

dam Templo, novâ terrâ, novâ civitate accipiendam esse (6) Non congruit *nomen civitatis*. Nam Ezechielis templo nomen est, *Jehovah schammah, Dominus ibi*, quod propriè soli Ecclesiæ Christianæ convenit. (7) Non congruunt *aquæ* è templo egredientes, in mare mortuum ingredientes, idq; totum edulcorantes, quod totus Jordanus ubiq; edulcorare non posse. (8) Non congruit *perpetuò clausa orientis portæ*, cum ratione subjuncta cap. XLIV. 2. *Quoniam Dominus Deus Israel egressus est per eam*. (9) Non congruunt *arbores ille fecundæ* utrinq; ad aquas dispositæ, & per singulos menses fructûs proferentes; ut multa alia taceamus quæ minimè congruunt. Unde Papistæ, etsi templum Salomonis magnificè à Zorobabele instaurandum ad literam hîc describi credant, magis tamen *allegoricè* significari restaurandam Synagogam Judaicam per Ecclesiam Christi, fatentur. Quia una Ecclesia, quæ olim fuit Judæorum, jam est Christianorum. Sed hæc illa amplior, augustior, operosior, gloriosior, perfectior, pulchrior, gratiosior. Confer *Athanasium* Orat. V. contra Arian: *Chrysostomum* homil. in Psal. XIV. *B. Lutherus* merè mysticè intelligenda hæc esse docet. Nam alia *mysticè*, alia *κατὰ τὸ ῥητόν*, alia de Ecclesiæ *domo Spirituali*, alia de *materiali* æde Hierosolymitana intelligi non permittit unius ejusdemq; subjecti ratio, de quo oportet aut omnia, aut nulla prædicata hoc in loco intelligere. Omnia autem quum de terrena & materiali urbe aut templo accipere non possimus, ut cum Papistæ, tum Judæi fateri coguntur, concludendum est, nulla prædicata de *materiali urbe* aut *templo* sive *Zorobabelis ad formam Salomonei exstruendo*, uti Grotius cum Rabbini veteribus nonnullis, & Papistis, sive *Utopico & fictitio Judæorum modernorum*, quod tertium ipsi somniant, intelligi posse. Nervosè complexus est hæc B. Megalander præfat: in Ezech: qui videatur. Sed cum remittat Grotius ad *Villalpandum*, (num Capellus aliquid ediderit, non constat) lectorem nostrum pariter remittimus ad DN. D. *Matthia Hafenrefferi* templum Ezechielis, ubi mysticam significationem traditam inveniet, quam Synopticè quoq; complexus est *Osiander* in Paraphras: ac suò modò etiam *Gregorius Magnus* ac *Lyranus* tradidère, & ex iisdem exhibet *Cornelius à Lapide* in commentario.

Refu.



CAPUT XL.

Refutavit B. Hafenrefferus jam in Rabbiniis Grotij glossam, quæ planè ex iisdem desumpta. Hebrai namq; doctores, uti habet pag. I. somniarunt hanc visionem fuisse designationem, descriptionem & delineationem, urbis & templi, sicut post captivitatem Babylonicam per Zorobabelem & Nehemiam restituenda & restauranda essent. Posteaquam autem ex historiis illorum temporum, hujus visionis complementa demonstrare non potuerunt; Ideo hoc somniorum sibi latibulum & refugium compararunt, non uno tempore, nec sub uno principe, omnes illas structuras perfici potuisse, sed plures, etiam extraneos Reges, operam & opes suas, huic restorationi communicare & insumere debuisse. Adeoq; visionem hanc nihil aliud fuisse, quàm solatium captivorum in Babyloniâ; optimè nimirum sperandum, quia non tantum captivitatis illius solutio, sed magnifica splendidissimaq; & urbis & templi redintegratio expectanda sit. Adeoq; Carnales homines, ultra lignum & lapides, nihil sapiunt, nihil intelligunt, nihil assequuntur. Argumenta urget B. Hafenreffer. quæ nos adduximus; adeoq; concludit: Non igitur externa civitas Hierosolymitana, sed civitas cælestis aut spiritualis describitur, cui nomen est: Dominus ibi: cap: ult: v. ult. Non templum Zorobabelis, sed templum, sive Ecclesia Christi describitur: non cultus Leviticus; sed Evangelicus: Deniq; non aedificia, non mansiones externæ, sed beneficia regni Christi, ejusq; slos, pulchritudo, & amplitudo in hac visione Prophetica ante oculos nostros depingitur. Istæ omnia verò sub umbris & verbis Typicis ex circumstantiis temporum, locorum, cultuum istius populi desumptis, cui visionem hanc sibi oblatam accommodat, Propheta noster voluit ex arare. Agit primùm de restitutione Templi capp. XL. XLI. & XLII. Secundò de ipso cultu, capp. XLIII. & XLIV. Tertiò, de reformatione totius regni capp. XLV. XLVI. XLVII. & XLVIII. in quibus omnibus describendis, ut dictum est, utitur Propheta, vel Dominus potiùs, qui hanc visionem Prophetæ exhibuit verbis ac Phrasibus statui Hebræorum accomodatis, hoc est, describit quasi templum Hebræorum, describit quasi cultum Hebræorum, describit quasi terram Hebræorum, cum tamen nihil eorum intellectum, sed regnum Christi Spirituale & Evangelicum designatum voluisset. Plura tamen interserit, quæ à priscâ illâ formâ discre-






AD EZECHIELIS

pantiam habebant, ut vel inde colligerent, de alia revisionem accipiendam esse, quàm ejusdem descriptionis verba sonarent.

Verf. 3. ECCE VIR

*Angeli viri vocantur, ubi ea specie apparent Daniel. X. 5.*

Pleriq; nostrates Demonstratorem hunc Ezechielis, non esse angelum quendam creatum, sed Filium Dei statuunt: Namq; non angelus, sed Christus est architectus Ecclesiæ suæ, Matth. XVI. 18. Qui vir dicitur ob naturam humanam; species enim ejus quasi æris lucidissimi. Confer Ezech: I. 7. Quo tum puritas & Sanctitas ejus secundum naturam humanam, tum divina ejus natura purissima, sanctissima, omni Chalybe, atq; ære, & ferro multò durabilior exprimitur. Quod imprimis confirmatur è loco simili Zach. II. 1. ubi visus itidem in formâ viri est Christus, habens in manu funiculum mensurae, cujus etiam proprium hoc est, quòd sit mensurator & judex in Ecclesiâ. Stateram enim habet, & perticam, quibus omnia, minima, maxima metitur & distribuit vir ille, in porta domus Domini: Quia ille inspector & conservator est Domus Domini, & per eum solùm ingressus patet: Ioh. XIV. 6. cap. X. 9. Hieronymus ad cap. XLVII. Ezech. Vir ille, inquit, qui indutus erat  & ductor Prophetæ liquidò pertransit, peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.

AD CAPUT XLVII.

Verf. 7. ECCE IN RIPA TORRENTIS LIGNA MULTA NIMIS

*Ubi ille torrens extra Templum egreditur, humore suo educabit arbores optimas omnis generis, ita ut semper aliqui ibi fructus sint futuri aut præcoces, aut serotini. Vide infra 12.*

Verf 8. INTRABUNT MARE.

*Mortuum.*

ET EXIBUNT ET SANABUNTUR AQUÆ.

*Tanta erit rapiditas illius torrentis, ut mare mortuum pertransiens, nihil ab eo corrumpatur, quomodo transeunt, quidam amnis Fucinum lacum, Larium Abdua, Verbanum Ticinus, Benacum Mintius, Sevinum Ollius, Lemannum Rhodanus, teste Plinio II. 100. Sanabuntur, id est, manebunt salubres,*



CAPUT XLVII.

*bres, neque retinebunt quicquam de aquis illis pestilentibus!*

Verf. 9. ET OMNIS ANIMA VIVENS QUÆ SERPIT

*Id est, natat, nam de piscibus agitur. ערש de quovis motu animalis dicitur, ut Levit. XI. 29. quare & per חייתו vertitur Gen. VII. 21.*

VIVET.

*Non interibit, ut illi pisces, qui in mare mortuum immit-  
tuntur. Tacitus de eo: Neque pisces aut sœvæ aquis volucres  
patitur.*

SANABUNTUR.

*Id est, Sana erunt.*

Non hic recensentur hi usus aquarum, sed alij. Faciebant enim potissimum ad sanationem aquarum maris mortui verf. 8. tum ad fœcunditatem, uti postea dicemus. Significant autem sine dubio aliquid singulare aquæ hæ mirabiles. Nullæ enim tales aquæ vel in templo Salomoneo, vel in Zorobabelis repertæ. Sed propriæ hæ sunt templo mystico Ezechielis, per quas aliqui gratias & benedictiones divinas adumbratas esse, cum B. Hafenrefferò dicunt, alij significatas aquas doctrine Evangelicæ censent, de quibus refe-  
ctiois aquis Psal. XXIII. Esa. XII. cap. XXXV. 6. Job. IV. cap. VII. Hæ ergo designantur. (1) Quoad ortum, quòd egressæ sint subter limen Domûs, tum quòd πρώτως à Christo, qui est porta & Janua salutis unica Ioh. XIV. tum quòd à ministris verbi δευτέρωσ procedant, nec nisi in Ecclesia inveniatur earum scaturigo: Ambros. in Apoc. cap. XXI. 1. Per torrentem Scripturam divinam intelligere debemus, quæ de templo, id est, de Ecclesiâ egreditur, ab ore scilicet prædicatorum. Procedunt autem quasi phialantes, ut verbum Hebræum B. Hafenrefferus reddidit pag. 318. quia nulla est externa pompa, in oculos incurrens, uti ea, quæ in mundo sunt, magna sunt, & oculos perstringunt. Oceanus mundi spumat & fremit: aquæ templi phialantes, hoc est, molliter & leniter manant. (2) Quoad incrementum, quia primum attingunt talares, postea ascendunt ad gēua, tertio ad lumbos pertingunt, postremò staturâ Prophetæ altiores evadunt, & natatu trajiciendæ sunt. Quo incrementum gratiarum, vel etiam profunditas verbi Dei & mysteriorum divinorum notatur, quia quò magis in verbi mysteria nos incurrimus, eo profundiora illa sūt,



## AD EZECHIELIS

ut tandem scrutator majestatis opprimatur ab ea. *Torrentem*, inquit Ambrosio, non potuit transvadare, quia profunditatem divinorum caelestiumque mysteriorum, nullus, sicut est, perscrutari potest. Ex parte enim cognoscimus, ex parte prophetamus. Hunc torrentem idem Paulus transmeare se non posse considerans, dicebat, ô altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei! (3) Quoad effectum: qui duplex potissimum: Primus *admiranda aquarum salubritas*, alter *admiranda fecunditatis virtus, & fertilitas*. De priori versu 8. Quum enim aquae hae è templo promanantes per Galilaeam & campestria descendentes in mare mortuum exonerentur, non tantum aquae istius maris influentibus hisce aquis curantur, sed omnes quoque animantes, ad quas hae aquae perveniunt, vivificantur. Grotius ut hunc effectum aquis eripiat, planè alienam verbis Prophetæ mentem inducit, *quod mare mortuum non corrumpant, etsi id pertranseant, quodque salubres maneant*. At in textu dicuntur ita intrare mortuum mare, ut id sanetur. Mare enim mortuum *lacus est Sodomiticus*; dicitur & *mare salsum*, ob nitrosam sulphuris, quod perpetuò exhalat, materiam. In quo propter pestilentem naturam, quia semper fumans est, & tenebrosum, tetrumque vaporem exhalat, nullus in eo piscis, nec ullum animal vivere potest, unde ajunt, Jordani pisces, quam primum ad ipsum perveniunt, aut emori in eodem, aut retrocedere. Hoc ergò mare sanari dicitur *aquis influentibus*, non verò hae salubres manere: Imò tanta est aquarum istarum salubritas, ut non solum pestilens illud mare sanent, sed omnes quoque animantes, quae nullè ibi vivere possint, vivificent. Quo effectus verbi divini egregiè exprimitur, per quod mare mortuum, *mundus universus, qui in maligno jacet* 1. Joh. V. 19. *Impij, qui quasi mare fervens sunt, cujus fluctus in conculcationem & lutum redundat*, teste Esa. LVII. 20. sanantur, & vivificantur: de quo ita Hafenreff. pag. 331. *Quid mare mortuum? Noxius & horribilis scelerum & peccatorum nostrorum lacus, in quem per multiplices defectiones à Domino, precipitati, damnati que sumus: hic omnia foetida, omnia emortua & exitiosa sunt, hinc vapores exhalant pestilentes & exitiosi, omnem vicinam regionem ad caelos usque devastantes, hic nulli salubres fructus, sed vel aeterna sterilitas, vel inutili*



CAPUT XLVII.

inutili pulchritudine, fructum ementitæ species. Naturâ enim filij  
 iræ sumus Ephes. II. v. 3. Mortui sumus in delictis & peccatis nostris.  
 Ibid. v. 1. Aqua promanantes è templo, & venientes in mare mortu-  
 um sanant aquas mortuas, & quocunq; perveniunt flumina, omnia  
 animantia vivificantur Ezech. XLVII. v. 8. 9. Hæc nimirum vis &  
 virtus est gratiarum & benedictionum spiritualium, quæ omnia o-  
 mnino damna, à peccato morte & inferno nobis & illata, & impen-  
 dentia perfectissimè resarciunt & restaurant. Ille aquæ sunt, ut in  
 superioribus demonstratum est, gratia & misericordia divina, remissio  
 peccatorum, sanctificatio, justificatio, & omnia merita Salvatoris,  
 verbum salutis, lavacrum regenerationis, Cæna Dominica, & vir-  
 tus in nobis habitantis Spiritus Sancti. Hæc igitur (quæ omnia & sin-  
 gula aquarum spiritualium nomine veniunt) omnem Asphaltitis lacus  
 seu maris mortui damnatam viscositatem tollunt, hoc est, peccati fædi-  
 tatem expurgant, pestiferas exhalationes, quæ iram Dei, & æternæ  
 perditionis fulmina eliciunt, dissipant, orci flammæ, cujus Asphalti-  
 tes exemplar est, extinguunt, cineres & fumos abigunt, adeoq; i-  
 psam mortem enecant, & omnibus, quocunq; venerint, vitam resti-  
 tuunt. Nam Sanguis Jesu Christi, Filij Dei, emundat nos ab omni  
 peccato, 1. Joh. I. 7. Et cum mortui essemus in delictis & peccatis no-  
 stris, convivificavit nos Deus, (qui dives est in misericordiâ) in Christo  
 & conresuscitavit & considerare fecit in cœlestibus in Christo Jesu, ut o-  
 stenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ,  
 in bonitate super nos in Christo Jesu Eph. II. 4. seqq. Hæc aliquando futi-  
 stis (putidi nimirum, fœtidi, scelerati & damnati peccatores) sed abluti  
 estis, sed justificati estis, in nomine Domini Jesu, & in Spiritu Dei no-  
 stri. 1. Cor. VI. 11. & rursus ad Colossenses: Cum essetis aliquando alieni,  
 & inimici sensu, in operibus malis, nunc reconciliavit (DEUS) in cor-  
 pore carnis Christi, per mortem, exhibere vos sanctos, immaculatos,  
 irreprehensibiles coram ipso Colos. I. 21. Hæc B. Hafenreffer.

Quod autem cœnosa & palustria loca aquarum istarum salubri-  
 tate non sanantur, sed vitiositate suâ æternâ sterilitate damnata per-  
 maneant, non inde est, quòd aquæ non satis salubres sint, vel ad pur-  
 gandum & sanandum omnes non satis efficaces, sed quòd multi in cœ-  
 no lutog; peccatorum sine pœnitentiâ, porcorum instar, volutari malunt,  
 quàm



AD EZECHIELIS

quàm relictis scelerum stercoribus ad sanantes properare aquas, per fidem & veram pœnitentiam.

Ex hâc Prophetiâ, & erunt pisces multi, ortum, quod pisces dicti sint Christiani, penes antiquos, quia renati aquis Baptismi, vitam spiritualem gratiæ adepti sunt. Quod nomen ἰχθῦς refert ἀρχοῦς de Christo literis initialibus, apud Nazianz: ἰησοῦς χριστὸς θεῶν υἱὸς σωτῆρ, Vide Aug. lib. XIIIX. de Civit. Dei: cap. 13. Hæc admirabilis mutatio, inquit Cornelius à Lapide, puta maris mortui, id est, peccatoris, vivificatio provenit ex aquis, quæ manant à limine & ostio Sancti Sanctorum, id est, à Christo, qui est porta cœli, fluuntq; in latus dextrum, id est, per Christi crucifixi latus dextrum lanceâ apertum & vulneratum, ex eo enim sanguis & aqua, atq; Ecclesiæ Sacramenta fluxerunt; ait Sanctus Augustinus. Ubi nota, communis veterum sententia est, latus Christi in cruce à milite perfossum fuisse dextrum, idq; putant aliqui hîc prædici ab Ezech. cum ait vers. 2. & ecce aqua redundantes è latere dextro. Addimus Hieronymi explicationem: Aquas vel Baptismi Gratiam, vel Evangelicam significare doctrinam, dudum diximus. Quæ si egrediantur de limine templi Domini, & Apostolicam teneant disciplinam: tumulos sabuli, steriles prius & infertiles, faciunt esse frugiferos: & omnia plana atq; deserta ita irrigantur, ut exprimant in se Hierichontini fluvij sacramentum: quem Heliseus Evangelico & Apostolico curavit sale: in tantum, ut ubi prius sterilitas fuerat, & mors, ibi ubertas esset & vita. Nec solum deserta sanarunt, sed intrant mare orientale: mare videlicet mortuum, in quo nihil poterat esse vitale, & mare amarissimum: quod Græcè λίμνη ἀσφάλτης, id est, stagnum bituminis vocatur. Mirumq; in modum aquis Evangelicis aquæ sanantur mortuæ: quæ ab eo, quod nihil in se vitale habeant, nomen mortis sortitæ sunt. Non enim noverant eum, qui dicit: Ego sum vita & veritas. Et revera juxta literam hucusq; nihil quod spiret & possit incedere, præ amaritudine nimiam in hoc mari reperiri potest, nec cochleolæ quidem parvique vermiculi & anguilli & cetera animantium sive serpentium genera: quorum magis corpuscula possumus nosse quàm nomina. Deniq; si Jordanis auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit, statim moriuntur, & pinguibus aquis supernatant. Cum hæc itaq; nihil utilitatis habeant, ut simplex sermo



CAPUT XLVII.

*sermo testatur; etiam si facta fuerint, quod stulti Judæorum superstitio credit, juxta intelligentiam spiritualem, Domini torrente curata, habebunt pisces plurimos, & vivent omnia, ad qua torrens iste pervenerit.*

Verf. 10. ET STABUNT SUPER ILLAS PISCATORES.

*Illâ parte, quâ ille torrens fluit.*

AB ENGADDI USQVE AD ENGALIM

*Hieronimus, Engalim in principio est maris mortui, ubi Jordanis egreditur, Engaddi verò, ubi finitur, atq; consumitur.*

SICCATIO SAGENARUM ERIT

*Vide supra XXVI. 5.*

Hæc de piscatoribus respiciunt itidem tempora Novi Testamenti: Piscatores isti *Apostoli* sunt, eorumq; successores *Math. IV. 19. Luc. V. 10.* Quorum officium est homines extrahere è mari mundi & luto peccatorum, reti verbi divini, ut colligantur ad Ecclesiam. *Stare* autem dicuntur *ab oppidulo Engaddi usq; ad oppidulum Engalim*, ab unâ maris extremitate, usq; ad alteram, quia per totum *mare mortuum* mundi hoc agunt, ut concludantur verbi sagenâ homines, & ad portum Ecclesiæ, & vitæ æternæ extrahantur; unde variæ species piscium extractæ, varia hominum genera *Gal. III. 28. Col. III. 10.* de quo Hieronymus: *Erunt piscatores, quibus loquitur Dominus Jesus: Venite ad me, & faciam vos piscatores hominum, de quibus & Hieremias: Ecce ego, inquit, mittam piscatores.* Et plurimæ species, imo genera piscium erunt in mari quondam mortuo. Quos pisces ad dextram partem, jubente Domino, extraxit Petrus, & erant centum quinquaginta tres, ita ut præ multitudine eorum retia rumperentur. Ajunt autem, qui de animantium scripsere naturâ ac proprietate, qui ἀλιευτικά tam Latino, quam Græco didicere sermone, de quibus Oppianus *Cilix* est, Poëta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia captæ sunt ab Apostolis: & nihil remansit incaptum, dum & nobiles & ignobiles, divites & pauperes, & omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. Quod autem sequitur: in littoribus ejus & in palustribus, sive in his, quæ extra littora egrediuntur aquæ, non sanabuntur: illud latenter ostendit, quod, qui in Noë arcâ non fuerit, pereat, regnante diluvio, & quos iste fluvius non attigerit, non suscipiant sanitatem. Hæc S. Hieronymus.

○

Verf. 11.



## AD EZECHIELIS

V. II. IN LITTORIBUS AUTEM EJUS, ET IN PALUSTRIBUS  
NON SANABUNTUR.

Littoralia autem, & palustria (*maris*) non erunt salubria. *Manebunt cetera maris mortui, qualia ante fuerunt.*

Rectè hæc ab Osiandro redduntur ex Ebræo, & explicantur: Hebr. exitus autem ejus, & paludes non sanabuntur, sed salsæ erunt, (id est, quando de mari illo effluit aqua, in loca vicina, & efficit paludes: illæ paludes non fiunt salubres, sed servabunt amaritudinem & virulentiam quandam, & in deterius etiam proficient) Hæretici enim (qui ab Ecclesiâ egrediuntur) pias admonitiones spernentes, non redeunt ad sanam mentem: sed sunt omnino insanabiles, præsertim Hæresiarchæ, unde Paulus dicit: Hæreticum hominem post unam atq; alteram admonitionem devita, sciens: quia subversus est, ejusmodi, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus, Tit: III.

## QUIA IN SALINAS DABUNTUR

*In Hebræo non est quia, sed sali dabuntur, id est, relinquuntur. Vide quæ diximus Gen. XIV. 3. Tacitus de Asphaltite, qui idem mare mortuum: Lacus immenso ambitur specie maris sapore corrupto.*

## Vers. 12. FOLIA EJUS AD MEDICINAM.

*Mirum ni hæc aqua ea sit, quam Callirrhonem Plinius vocat in capite de Asphaltite, fontemquè appellat, nimirum quia reclusus aliquamdiu rursus erumpit, medica salubritatis. Ab Hierosolymis eum venire Solinus nos docet: Callirrhoe Hierosolymis proxima, fons calore medico probatissimus, & ex ipso aquarum præconio sic vocatus est, Martianus Capella: Secunda elatio Judææ ab Hierosolymis, in quo latere est fons Challirrhoe.*

Non apparet, quid fons ille ad aquam faciat ab Ezechiele visam. Quam prorsus peculiare habere effectus, & merè mysticam aquam esse, textus docet. Quò etiam facit illa fecunditas, quod in ripis torrentis illius ex utraq; parte lignum fructiferum diversi generis sit, cujus folia non disfluunt, nec fructus corrumpuntur, quod per singulos menses novos gignit fructus, quia aqua ejus de Sanctua-

Etua-



CAPUT XLVII.

*Etuario egrediuntur, & fructus ejus in cibum, & folia ejus in medicinam: quæ verè mystica esse, manifestum est. Significationem commodè expressit Osiander: Ex Evangelij prædicatione & Sacramentorum administratione nascentur passim plurimi Christiani, qui sunt bonæ & fœcundæ arbores: Et ut variæ arborum species, varios bonos fructus gignunt: ita illi pro diversitate donorum, variis & diversis rationibus proximo inservient. Omnia tamen ad laudem Dei dirigentes. Folia non desluent, id est, non peribunt in estu temptationum, sed virentes conservabuntur (fideles) Fructus ipsorum non corrumpetur: labor eorum non erit inanis in Domino: sed maximas & permanentes utilitates afferet: & habebit amplissimam (ex gratiâ) remunerationem. Singulis mensibus fructus producent: id est, erunt ditissimi in bonis operibus, nunquam cessabunt bonos fructus copiosè gignere. Tam autem fœcundi erunt, quia foventur & recreantur Ministerio Evangelij, quod non ex humanæ sapientiæ lacunis scaturit, sed ex adytis cœlestium arcanorum, atq; adeò è sinu Patris per Christum ad nos emanavit, Joh. I. Christianorum autem labores & officia, (qualia sunt omnia charitatis opera, inter quæ afflictorum consolationes è Verbo Dei propositæ non sunt postrema) valentes reficiunt, & confirmant: agris verò medicinam animæ præstant, ut & ipsi convalescant. Quæ prolixius & eleganter exequitur B. Hasenrefferus pag. 353. seqq.*

*Sed cum primis notanda causa istius fertilitatis. Hanc Prophetæ demonstrator facit, quòd aqua illa è Sanctuario prodeant. Fructus nimirum fidelium, aquarum spiritualium, per Spiritum Sanctum vel doctrinæ Evangelicæ effectus sunt, & virtute verbi divini procreantur, non proprijs nostris viribus. Ne putemus, inquit Hieronymus, riparum esse, vel arborum aut mensium tantarum frugum abundantiam, reddit causas ubertatis, & infert: Quia aqua ejus de Sanctuario egredientur: Non ergo volentis, neq; currentis, sed misèrentis Dei est.*

*Ut verò ad primam scaturiginem hujus torrentis revocemur, qui est Spiritus Sanctus, instar fluvij aquæ vivæ crystallini, à Patre & Filio, vel è gloriâ & sede Dei & agni (gloria autem Dei est ipsa Dei essentia) ἐκ τοῦ οὐνοῦ, qui sese maximè in cœlesti Hierosoly-*





## AD EZECHIELIS

rosolymâ in beatos diffundit, & longè copiosissimè fluētis suis illos  
 irrigat ipsumq; etiam caput Electorum, Salvatorem nostrum Chri-  
 stum Jesum, ceu lignum vitæ, immensis dotibus replet, ostendun-  
 tur hæc S. Johanni Apoc. XXII. 1. & describuntur eâdem ferè ratio-  
 ne, uti hic ostensa Ezechieli, & descripta sunt. *Ostendit mibi flui-  
 um aquæ vitæ splendidum, tanquam Crystallum, procedentem de se-  
 de Dei, & agni in medio plateæ ejus, & ex utraq; parte fluminis li-  
 gnum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens  
 fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Huic ligno vi-  
 tæ conformari oportet nos, ceu arbores frugiferas, & ab hoc vi-  
 tæ ligno, omnis nostra est fertilitas, quâ spirituales arbores justi-  
 tiæ varios fructus ferunt, Deo gratos, proximo salubres Esa. LXI.  
 Phil. I. Sed Christus *lignum vitæ* beatis, visione & fruitione sui, vi-  
 tam dat immortalem, & in cibum eis est, & voluptatem recentem,  
 per 12. menses, id est, in omnem perpetuitatem. *Lignifolia* sunt  
*verba Christi*, quibus beatos omnium gentium mulcebit, & conso-  
 labitur in æternum. Sic Beda, Rupertus, Ansbertus, Riebera  
 & alij. Confer Apoc. II. 7. Et Spiritus Sanctus est tum gratiæ, tum  
 gloriæ, felicitatis, ac voluptatis omnis fons uberrimus, de quo  
 Ambros. lib. III. de Spiritu Sancto cap. III. *Hic utiq; fluvius de sede  
 Dei procedens est Spiritus Sanctus, quem bibit, qui credit in Christum:*  
 Ideoq; significantur ita per fluvij nomen, ipsa dona Spiritus Sancti  
 exuberantia, quæ redundant in beatos à Deo & agno, ut torrente  
 voluptatis potentur Psal. XXXV. 9. Esa. LXVI. 12. *Fluvium verò,  
 arbores, & poma ad literam, uti erant in paradiso terrestri, dum  
 Cornelius à Lapide somniat, ad Judaica deliria accedit. Non  
 inconcinnè autem Ambrosius in Apo. XXII. locum utrumq; Apo-  
 calypticum, & Propheticum confert, cujus verba adjicimus:*  
*Duæ ripæ, ait, duo testamenta significant. Inter has duas ripas ma-  
 gnus torrens Scripturarum, qui à Sanctis Patribus editus est, decurrit,  
 per ligna verò Ecclesiæ doctores designantur, qui in utrisq; ripis, id est,  
 in doctrinâ Veteris ac Novi Testamenti plantati esse dicuntur: unde a-  
 quas veræ scientiæ trahentes & fructus gignunt & folia: per fructus  
 namq; opera bona: per folia autem verba prædicationis designantur;  
 fructus in cibum, & folia in medicinam proficiunt: Quia unusquisq;  
 doctor*



doctor languenti anima medicinam verborum salutiferam tunc ministrat, cum eam prius exemplis bonorum operum paverit. Ecce Ezechiel torrentem de templo exiisse se vidisse dixit, Joannes autem non torrentem, sed fluvium à sede Dei & agni procedentem sibi ostensum fuisse dicit. Torrens ex nimio ardore solis solet siccari, fluvius verò nullo ardore exsiccatur. Non inconvenienter ergo per torrentem divina Scriptura exprimitur, quæ veniente sole, id est Domino, ad iudicium, siccabitur: quia post resurrectionem divina Scriptura necessaria non erit. Porro per fluvium, qui nullo ardore solis exsiccatur, gloria sanctorum perpetua intelligitur: qui à sede Dei & agni procedere dicitur, quia ab illo fluvius gloriæ sanctorum procedet, à quo illis in carne positis processit rivus omnium bonorum: qui fluvius splendidus tanquam Crystallus esse dicitur.

V.13. HIC EST TERMINUS IN QUO POSSIDEBITIS TERRAM,  
IN DUODECIM TRIBUBUS ISRAEL.

Hæc assignatio, & quæ sequitur capite postremo, locum habitura fuisset, si decem tribus non minus, quam Juda & Benjaminis, se ad Deum convertissent. Sic enim pariter impetrassent reditum. Nunc pauci tantum permixti Juda & Benjamini rediere, ijg, sedes cum illis habuere communes. Recedente tamen tempore, dono regum etiam illa terra, quæ decem tribuum fuerat, Judæis concessa est, ut ex Josepho alibi ostendimus.

Assumit Grotius hanc visionem Propheticam, ac si facta sub hypothese sit, vel adumbrarit terram Sanctam, & possessiones tribuum in eâ, sub conditione, qualem nempe habitura quæq; tribus fuisset possessionem, si nimirum se ad Deum convertissent. At hic simpliciter assignantur possessiones tribubus omnibus. Nullius hypotheseos vel conditionis hæc apparet vel minimum vestigium. Neq; verò opus fuisset accuratâ designatione omnium terminorum, si intellexisset DEUS, tribus illas nunquam redituras. Non redeuntes nullis indigebant possessionibus. Deum verò, qui omnia prævidit ab æterno, frustra determinare istos limites voluisse, nullatenus consentaneum. Quapropter manifestum hæc argumentum habemus, non posse hæc intelligi de terrâ Cananaâ, &





## AD EZECHIELIS

de duodecim tribubus Israel secundum literam, prout sonant, sed de spiritali Cananea, Ecclesia Christi, deq; Israele secundum promissionem, veris fidelibus, intelligenda esse. Duodecim ergo tribus sunt omnes fideles & Christiani. Porta vero tres a singulis lateribus, & plagis mundi quatuor significant, undiq; ab omnibus plagis mundi patere ingressum in Ecclesiam. Quia ternarius est numerus perfectionis. Adde, quod simili ratione describatur caelestis Hierosolyma, electorum triumphantium Ecclesia, Apoc. XXI. 10. quod portas duodecim, nominibus duodecim tribuum Israel insignitas habeat: ubi certum est, non Israelitas solum secundum carnem ad illam supernam civitatem pertinere. Neq; consonant hae portae Ezechielis omnino antiquae Hierosolymae. Quia porta Ephraim ponitur hic ad orientem, quae vero ibi sita fuit ad Septentrionem, ut apud Adrichomium, & Vilalpandum videre est. Notat quoq; Hieronymus ad cap. XLIX. quod quadraginta octo civitatum, quae in Numerorum volumine tribui Leviticae dantur ad habitandum cum suburbanis suis, hic silentur nomina, & civitates fugitivorum, quarum tres trans Jordanem, Bosor scilicet & Ramoth & Gaulon in duabus & dimidia tribu datae sunt: & tres intra Jordanem, Cades videlicet & Sichem & Cariatharbe. Neq; enim opus erat in descriptione Sanctorum & conversatione perfecta, fugitivorum describi auxilia. Quibus Israel indignit adhuc in terra positus, & per multos labores atq; discrimina ad hanc civitatem venire festinans, & in singulis Sanctis loquens: Advena sum, atq; peregrinus, sicut omnes patres mei. haec Hieronymo.

Deniq; tollitur hic discrimen Judaeorum & gentium, quod, durante Veteri Testamento, sartum tectum manere oportebat. Quod e cap. XLVII. 22. manifestum est. Per hoc capitulum, inquit Hieronymus, discimus, & decutitur supercilium Judaeorum, nihil inter Israel & gentium populum esse divisum; si enim advenis & alienigenis, cum his, qui sunt de populo Israel, hoc est, indigenis, terra dividitur: nulli dubium, eandem esse hereditatem populi gentium, & populi Judaeorum: si tamen converſi fuerint ad cultum Dei Israel, quod proprie nomen possidet Christianum, habentibus Judaeis legis literam & nobis spiritum: illis tenentibus membranas, & nobis eum, qui scriptus est in membranis. Et apud Moysen sorte terra dividitur: hic autem ut diximus, Domini judicio delegatur:

anaq;



CAPUT XLVIII.

unaque possessio est advena & Israeli, & in singulis tribubus datur hereditas, jubente Domino Deo. CAPUT XLVIII.

V.15. PER CIRCUITUM DECEM ET OCTO MILLIA

Quam summam faciunt quater sumpta latera: nam lat9 unumquodque jussu erat quater mille & quingentorum cubitorum.

Rabbini totidem leucarum fuisse dicunt, quibus accedit Lyranus: unde Finus lib.II. Flagell: Judæorum cap.IIX.concludit, per Jerusalem congregationem gentium ad Christum, seu universitatem Christianorū intelligendam esse: quia alioquin, inquit, civitas hæc mundi magnitudinem adæquaret, sinon superaret: sed ut ut κατ' ἀνθρώπων Judæis id opponi possit, qui 18000. leucarum hic intelligunt; Admittimus tamen non leucas, sed calamos subaudiri: qui juxta Hieronymi computationem efficiunt quadraginta quatuor millia passuum, & trecentos quadraginta passus.

NOMEN CIVITATIS EX ILLA DIE, DOMINUS IBIDEM.

Dominus ibi, supple, habitat: non quod hoc nomine appelletur, sed quod hoc ἐπιθετικῶς jure optimo ipsi sit competiturum. Si milia habes Jer. XXIII.6. & XXXIII.16. ubi vide.

Ex eo vero Epitheto constat, civitatem illam non esse terrenam, Judææ Metropolin, cui nomen Hierusalem; Sed spiritualem, Ecclesiam Christi, cui proprium est hoc, atq; perpetuum: Quod Dominus in eâ habitat; Qui nunquam ab eâ recedit, uti à terrenâ istâ civitate discessit: Matth. XXIII.38.39. De quo nomine prolixè videatur B. Hasenreffer9 lib.I.cap.150. seqq. Et agnoscit Rabbi Salomo in hunc locum, omnia quæ in Ezechiele de Jerusalem scribuntur, de sanctâ civitate superna Jerusalem intelligenda esse. Et hinc sanctam illam civitatem hac salutatione excepit Sanctus Bernhardus serm. VI. ad milites templi. Salve civitas sancta, quam ipse sanctificavit sibi tabernaculum suum Altissimus, quo tanta in te & per te generatio salvaretur. Salve Civitas Regis magni, ex quâ nova & jucunda mundo miracula nullis temporib9 defuere ab initio. Salve Domina gentium, princeps provinciarum, Patriarcharum possessio, Prophetarum mater, & Apostolorum, imitatrix fidei, gloria populi Christiani, quam Deus semper à principio passus est oppugnari, ut viris fortibus sicut virtutis, ita foret & occasio salutis. Salve terra promissionis, quæ olim fluens lac & mel  
tuis



AD EZECHIELIS CAPUT XLVIII.

tuis duntaxat habitatoribus, nunc universo orbi remedia salutis, vitæ  
porrigis alimenta. Terra, inquam, bona & optima, quæ in fecundissimo  
illo sinu tuo, ex arca paterni cordis cœlestis granum suscipiens, tantas ex  
superno semine Martyrum segetes protulisti, & nihilominus ex omni re-  
liquo fidelium genere fructum, fertilis gleba, trigesimum & sexagesimū  
& centesimum super omnem terrā multipliciter procreasti. Unde & de  
magnā multitudine dulcedinis tuæ iucundissimè satiati, & opulentissi-  
mè saginati, memoriam abundantie suavitatis tuæ ubiq; cructant, qui  
te viderunt, & usq; ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ lo-  
quuntur eis, qui te non viderunt, & enarrant mirabilia, quæ in te fiunt.  
Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.

Geminum huic nomen, quod spiritualis Hierosolyma habitura  
dicitur, DOMINUS IBI, est, quod cœlestis Hierosolyma Apoc. XXI.  
3. accepit: ECCE TABERNACULUM DEI CUM HOMINIBUS,  
ET HABITABIT CUM EIS. Quanta a, illius felicitas, quanta gloria  
sit, veluti per transennam perspiciamus, cum Apocalypticam δια-  
τύπωσι, sed ἀνα ποκάλυπτον, καὶ ἀκατάλειπτον respiciamus, Quia  
oculus non vidit, auris non audivit, neq; in cor hominis ascendit. Et  
mera sunt ἀρρητα ἔηματα etiā illi, qui oculis suis ea usurpavit, au-  
ribusq; suis hausit. Ah quando eò deveniemus, ut æternum videam-  
us, æternum audiamus, æternisq; elogijs celebremus, & confitea-  
mur: sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civi-  
tate Dei nostri. Dominus fundavit eam in æternum Psal. XLIX. 7.  
יהוה שמה יהוה שמה Jehovah ibi; ibi Jehovah OMNIA ERIT OMNIBUS. Ve-  
ni Domine Jesu, Veni, & eò nos perducito. Qui sanguine tuo initia-  
sti nobis viam novam, & viventem per velamen, vel carnem tuam.

Jesu dulcedo cordium  
Fons vivus lumen mentium  
Excedens omne gaudium  
Et omne desiderium.

Desidero te millies;  
Mi Jesu quando venies!  
Me letum quando facies  
Me de te quando saties!

Jesu Decus angelicum,  
In aure dulce canticum,  
In ore mel mirificum,  
In corde nectar cœlicum,

Jam quod quæsi video;  
Quod concupivi teneo,  
Amore Jesu languedo.  
Et corde totum video.

Gloria Tibi Domine Jesu! AMEN.



te  
so  
ex  
e-  
nū  
de  
ra  
ui  
o-  
t.  
ra  
I.  
S,  
ia  
e-  
a  
Et  
i-  
a-  
a-  
7.  
e-  
i-

06 A 999

ULB Halle 3  
004 544 587  



1574











I. N. J.  
**HUGO GROTIUS**

AD XXXVII. ET SEQQ. CAPP.  
EZECHIELIS

Vaticinia nempe de Servo Domini, Davide Rege,  
de Gog & Magog, ut & designationem Chronologicam initij capti-  
vitat<sup>is</sup> Babylonicae Templiq; novi exstructionem  
Prophetæ demonstratam,

ἡλεγχόμενῳ,  
Quem

In Alma Leucorea  
P R Æ S I D E  
V I R O

*Maximè Reverendo, Magnifico, Amplissimo, & Excellentissimo*

**DN. ABRAHAMO CALOVIO,**

S. S. Theol. Doct. Ejusdemq; Prof. Publ. Primario  
longè celeberrimo, Ecclesiæ Witteb. Pastore, Electoratus Saxonici  
Superintendente Generali vigilantissimo & Consi-  
storij Ecclesiastici Assessore gravissimo,  
Dn. Patrono & Præceptore suo omni observantiæ  
cultu æternùm prosequendo  
publicæ disputationi exhibet

**M. JOH. ERNESTUS Hering!**

Dresd.

*In Auditorio Majori, Horis Antimeridianis*

*D. Maij. Anno M DC LXIII.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI.